coll. conj.

J. F. Schleusner 805.

# IOANNIS MEVRSI

# ROMA LUXURIANS.

Sive,

# DE LUXU ROMANORUM,

Liber Singularis.

Item,

# MANTISA.

*Editio nova; auctior, & emendatior.*

---

*HAFNIÆ,*
Apud JOACHIMUM MOLTKENIUM,
Typis Sartorianis.
Anno cIↃ. IↃc. XXXI.

# VIRO ILLUSTRI,
& Generoſo,
# JUSTINO
# HEVGIO,
## Giorslevij Domino, Regni
Daniæ Senatori, Academiæ Soranæ Directori: Soræ, Mariæburgi, ac Burglami, Præſidi regio,

## IOANNES MEVRSIUS
Dedico, Conſecroque.

*RES HUMANAS CONtemplanti, Vir illuſtris, & Generoſe, id occurrit admirandum, quod virtuti ſemper vitia, ceu affixa, adhæreſcant: neque vel ſejungi poſſint, vel divelli. Et ubique id videmus; ac memoriam, ſi lubet, ab an-*

tiquitate ultimâ, viros nobis maximos quos-
que proponentes, repetamus: ipsâ re compe-
riemur, inter maximas virtutes ſumma quo-
que vitia ſe implicuiſſe: tanta quidem cum
invidiâ, ut, eripere laudem illis cùm non poſ-
ſent, nihilominus, quod eſt proximum, pari
ferè ignominiâ deformarent. Ita olim Ale-
xandrum, ob præclarè belli facta, Magnum
cognomento dictum, ſuperbia ſua, iracundia,
& ebrietas, & injuſta tot ſummorum ducum
cædes, multo minorem fecere. Alcibiadem
pariter, fraus, & nequitia, inter honorem, &
infamiam, medium conſtituerunt. Summa
Julij claritudo, quàm libidine, ambitione, &
rapinis, obſcurata eſt. Ac Lucullus, quo non
multos in Romanis meliores belli duces depre-
hendes, luxu univerſum decus, & deliciis, in-
quinavit. Videmus in Hannibale crudelita-
tem, ac perfidiam: in Jugurthâ, ſceleratum
omnino animum, et, cupiditate regni acqui-
rendi, omnia paratum perdere. Sylla et-
iam, Mariuſque, inter primos certè æſtiman-

di

*di eſſent, ſi ſævitiæ, & tyrannidis, maculam eluere poſſent. Denique, quæ in hominibus reprehendimus, ea quoque in Imperiis, Regnis, Principatibuſque, ac Rebuſpublicis, apparebunt. Atque in hominibus quidem, vitia ſe, ſpatiis anguſtioribus circumſcripta, ſtatim oſtendunt; & luctantur, ac contendunt de victoriâ: contra verò in imperiis, gentibuſque, initio inculta virtus, horridaque, rudibus adhuc populis colitur: et, ſecurè deinde creſcens, tempore progrediente, excolitur magis, ac politur, donec ad faſtigium veniat: & tunc demum, ad opprobrium multo majus, pleno impetu vitia aggredientia jam maturam, atq; firmam, ceu cuniculis actis, ſubruunt, ac convellunt. Conſtat certè id, quod dico. Ecce enim, ut Imperia alia mittam, ecquid Roma, illa inclyta, magna, potens? cujus virtus, primò rudis, atque ſimplex, ubi per ſecura annorum circiter ſeptingentorum incrementa jam maturum ſibi robur collegiſſet, vitiis tunc demum impetum facientibus, conquaſſata, & impulſa, in*

*ſe corruit. In his autem, nullum ad enervandum ſtatum tantum valuit, atque Luxus: qui, ſi unquam alibi fuit, hîc profectò ingens planè, & deteſtandus. Propoſui in exiguo Libro: quem, Vir illuſtris, & Generoſe, tibi dedico, conſecroque, obſervantiæ monumentum. Accipe benigno animo: ac me, quod facis, porrò ama, tibi devotum. Dabam Soræ, ad diem XIV Januar. Anno cIↃ. IↃc. XXXI.*

# ERRATA.

*Pag.1. lin. penult. Vaſtigio.* leg. *Faſtigio.*

*lin. 11.* Στρατηθῦ. Στρατηγȣ̃.

*44. lin. 4.* ſolido. ſolito.

*51. lin. 16.* οἰκῶσι. οἰκȣ̃σι.

*52. lin. 13.* eædem. ædem.

*53. lin. 7. 8.* pomariam. pomaria.

*65. lin. 13.* indicimus. incidimus.

*66. lin. 11.* frudari. fraudari.

*lin. 14.* Mirabuntur. Mirabamur.

*82. l. 13. 14.* tempora. temporaria.

*86. l. 5.* Φησάμενος. Φεισάμενος.

*91. l. ult.* falſis. ſalſis.

*Pag. 92. l. 4.* concinnorum. cincinnorum.

*97. lin. 20.* lenocinitate. lenocinante.

*113. lin. 22.* παράδοχον. παράδοξον.

*lin. 24.* τῖς. τῆς. *& ita aliquoties poſteâ mendosè editur.*

*117. lin. 14.* ἐσχύνω. αἰσχύνω.

*136. lin. 11.* τȣ̃ νόσ βλάβω. τȣ̃ νοὸς νόσ βλάβω.

*138. lin. 3.* δηλᾶ. δηλοῖ.

*142. lin. 6.* σαυθλᾶν. συνθλᾶν.

*lin. 7.* ]φῆκες. σφῆκες.

***Plura occurrent, ſed levicula, quæ tu pro candore tuo, benigne Lector, ipſe corriges.***

# IOANNIS MEVRSI DE LUXU ROMANORUM Liber Singularis.

## CAPUT I.

*Divitiæ Romanorum, etiam exulum: eæ reſtrictæ ab Auguſto. Cuſtodiæ nocturnæ. Liber patrimonij. Lex de modo agrorum, & pecuniæ: eaque à Julio revocata. Dio correctus.*

GRAVE, ac fædum, vitium luxus eſt; quoſq; ſemel invaſit populos, gravi ruinâ afflixit, ac peſſum dedit. Exemplum habemus clariſsimum in magnâ illâ, & Auguſtâ, gentium dominâ Româ; quæ, ubi ſervire huic cæpit, dominatu, ac felicitate publicâ, exuta, tantùm non præceps à vaſtigio devoluta, ſufflamen vix ullum habuit, quod ſiſteret ruentem. Sed vete-

rum ſeculorum memoriam revocemus, & videamus laborantem graviter Urbem, ut deteſtemur, & caveamus. Mater hujus morbi divitiæ, quæ ingentes illic, ſupra modum. Atque adeò ſub Auguſto, poſt triumphum Alexandrinum, tantum rei nummariæ fuit, ut agrorum pretia valdè intenderent, & uſuræ vix trientali locus eſſet, cùm centeſima anteà pro levi haberetur. Dio lib. LI. Τοσοῦτον τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων διὰ πάσης ὁμοίως τῆς πόλεως ἐχώρησεν, ὥστε τὰ μὲν κτήματα ἐπιτιμηθῆναι, τὰ δὲ δανείσματα, ἀγαπητῶς ἐπὶ δραχμῇ πρότερον ὄντα, τότε ἐπὶ τριτημορίῳ αὐτῆς γενέσθαι. Hoc eſt, quod conciſè Svetonius in vitâ ejus, cap. XLI. *Invectâ urbi Alexandrino triumpho regiâ Gazâ, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut, fœnore deminuto, plurimum agrorum pretiis acceſſerit.* Et hoc publicè quidem: at verò quid privatim? Videamus. Apicius habuit *millies ſeſtertium*, teſte Senecâ, Conſolat. ad Helviam, cap. X. Hoc autem millies facit quinque milliones Carolinorum. Criſpus, municeps Vercellenſis, poſſedit *bis millies*, ut notat Interpres vetus Juvenalis, Sat. IV. Eædem divitiæ M. Craſſi perhibentur. Senecam *ter millies* poſſediſſe, teſtatur Tacitus. Et ſuntné hæ immenſæ opes?

ſunt

ſunt profectò. Tamen, apud eundem Tacitum, extenuans has Nero, inquit: *Plerique haud quaquam artibus tuis pares, plura tenuerunt.* De Narciſſo memorat Dio, lib. LX. & de Cn. Lentulo augure Seneca, De Benefic. lib. II. cap. XXVII. *quater millies* poſſediſſe. Nondum obſtupeſcis? Ecce, in imâ plebe Iſidorus aliquis ſervorum quatuor millia centum ſedecim, juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, *ſeſtertium ſexcenties*, id eſt, tres milliones in numerato reliquit. Et hic ipſe multa adhuc perdiderat bello civili Julij & Pompeij. Audiamus Plinium, libr. XXXIII. cap. X. *C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino, Conſulibus, ad VI. Kal. Febr. C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo edixit, quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia centum ſedecim, juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia, in numerato ſeſtertium ſexcenties.* Et hic ſub Auguſto. Erant qui totas Provincias poſsiderent. Seneca De Irâ lib. I. cap. ultimo. *Acervis auri argentiq́; incubat, & provinciarum nominibus agros colit, & ſub ſingulis villicis latiores habet fines, quam quos conſules ſortiebantur.* Salvianus ad Eccleſ. Cathol. libr. I. *Non*

*denique fundos interminabiles, & notitiam poſſeſſoris ſui excedentes.* Plinius auctor eſt, ſub Nerone ſex dominos poſſediſſe Africæ ſemiſſem. Ad has igitur opes neceſſarij erant ingentes libri, quibus rationes complecterentur, quot agrorum jugera haberent, & per quos colenda: quantum pecorum, & ubi paſcentium: quantum ſervorum, quantum ædium, & qui hinc reditus annuus. Et habebant etiam, vocabantq; *Libros patrimoniorum.* Seneca De Benefic. lib. VII. cap. X. *O miſerum, ſi quem delectat ſui patrimonij liber magnus; & vaſta ſpacia terrarum, colenda per vinctos; & immenſi greges pecorum, per provincias, ac regna paſcendi; & familia bellicoſis nationibus major; & ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia.* Locus inſignis, & in quo ſingula Lectorem abripiunt ad ſtuporem. Adeoq; exules ipſi immenſas quoque opes habebant. Seneca, Conſolat. ad Helviam, cap. XII. *Eò temporum prolapſa luxuria eſt, ut majus viaticum exulum ſit, quàm olim patrimonium principum.* Inhibuerat Auguſtus, & frenum injecerat, edicto, ne quis eorum ſervos, aut libertos, ſupra viginti haberet; neu plus quingentis millibus nummûm: id eſt, viginti quinque millibus Carolino-

rum.

rum. Auctor Dion libr. LVI. Obſtupeſcendas certè divitias! eò magis, quod tantam paupertatem ſint ſequutæ. Sub Romulo enim duo jugera divitiæ erant, neq; ultrà quiſquam habuit. Plinius lib. XVIII. cap. II. *Bina tunc jugera Pop. Rom. ſatis erant, nulliq; majorem modum attribuit.* Et conſtitit quàm diutiſsimè modus hic iſtorum opibus. Anno Urbis CCXCII. L. Quinctius Cincinnatus, Dictator, quatuor jugera habuit. Anno CCCCXCVIII. Attilius Regulus ſeptem. Vis tempora non longè ab Imperio remota? M. Scaurus, Princeps Senatus, habuit ſola ſex mancipia, totuſq; ejus cenſus fuit *triginta quinque millia nummûm:* id eſt, mille ſeptingenti quinquaginta Carolini. Jam matrimonia quoque, & dotes, inſpiciamus. *Tatia, Cæſonis filia,* ait Valer. Max. *maximam dotem ad virum, decem millia æris, attuliſſe viſa.* Hi ſunt ducenti Carolini. Senatus Scipionis filias elocavit, deditque ex ærario dotem *undecim millia æris,* ſive Carolinos ducentos viginti. Megullia, quia cum *centum millibus æris,* id eſt, mille florenis, mariti domum intravit, *Dotatæ* cognomen accepit. At quantum excrevit poſteà, creſcentibus divitiis? Juvenalis Sat. X. de Meſſalinâ.

—— *dudum ſedet illa parato*
*Flammeolo, Tyriusq́; palàm Genialis in hortis*
*Sternitur, & ritu decies centena dabuntur*
*Antiquo,* ——

Vides augmentum? *decies centena* ſunt quinquaginta millia florenorum: atq́; ea tunc frequens dos. Martialis lib. II. epigr. LXV.

*Illa illa dives mortua eſt Secundilla,*
*Centena decies quæ tibi dedit dotis?*

Tacitus Annal. II. *Poſthabitam decies ſeſtertij dote ſolatus eſt.* Sed an nullæ leges, quæ immodicas iſtas, ſæpè etiam injuſtas, opes coërcerent? Ita. Agrorum modum quingenta jugera ſtatuit C. Licinius Conſul, Anno ab Urbe CCCLXXXVI. Auctores Livius lib. VII. & Plutarchus in Camillo. Pecuniæ quoq; ne ſupra ſexaginta ſeſtertia, ſive tria millia Carolinorum, poſsidere liceret, lege cautum fuit, quam revocavit Julius Cæſar. Dion. lib. XLI. Ἐπεὶ δή τε συχνοὶ πολλὰ χρήματά τε ἔχειν, καὶ πάντα αὐτὰ ἀποκρύπτειν ἐλέγοντο, ἀπηγόρευσε, μηδένα πλεῖον πεντακισχιλίων, καὶ μυρίων, δραχμῶν ἐν ἀργυρίῳ, ἢ καὶ χρυσίῳ, κεκτῆσθαι. οὐχ ὡς καὶ αὐτός τὸν νόμον τοῦτον τιθεὶς ἀλλ' ὡς καὶ πρότερον ποτὲ εἰσηνεχθέντα ἀνανεούμενος. Sed mendoſus locus ſine dubio, & ſcribendum πεντακοσιακισχιλίων. ea erunt tre-

trecenta millia: atque hæc juſtior ratio. Nam quid obſecro, ſicitum fuerit paupertinâ adhuc Româ agrorum habere jugera quingenta; eâ autem opibus jam abundantiſsimâ pecuniæ tanrùm florenos tres mille? Nulla eſt ratio, aut proportio. At verò hic modus ſervatus non fuit, & ſilentium legi validior luxus impoſuit; quippe ſub Auguſto aliquis ex imâ plebe reliquit in numerato ſeſtertium ſexcenties, ut paullò ante commemoravi. Ad ædes autem, & quæ in iis opes, ſervandas adhibebantur cuſtodiæ nocturnæ ſervorum, quæ adverſus vim, aut incendia, excubarent. Juvenalis Sat. xiv.

*—— miſera eſt magni cuſtodia cenſus.*
*Diſpoſitis prædives hamis vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus jubet, attonitus pro*
*Electro, ſignisq; ſuis, Phrygiâq; columnâ,*
*Atque ebore, & latâ teſtudine. ——*

## CAPUT II.

### *Luxus, & prodigalitas, Romanorum in genere. Martialis emend.*

OPes tam immenſas, quas vidimus, ut ſolet plerumque, ſequutus eſt luxus, & prodigalitas, in veſtibus, ſupellectile, ædibus, conviviis,

viis, comeſſationibus. Tigellius quinque diebus prodigere poterat florenorum quinquaginta millia: eam enim ſummam faciunt *decies centena*. Horatius de eo teſtatur.

*—— decies centena dediſſes*
*Huic parco paucis contento, quinq; diebus*
*Nil erat in loculis.* ——

Curio filius conflaverat æris alieni *ſeſtertium ſexcenties*, ſive tres milliones. Val. Max. queritur lib. IX. cap. I. *Conſimilis mutatio in domo Curionum exſtitit: ſiquidem forum noſtrum & patris graviſſimum ſupercilium, & filij ſexcenties ſeſtertium æris alieni adſpexit.* Cinnam quendam irridet Martialis, quod anno non toto decoxiſſet *ſeſtertium octuagies*, id eſt, florenorum quadringenta millia. Hoc epigramma eſt.

*Bis quartum decies non toto tabuit anno;*
*Dic mihi, non eſt hoc, Cinna, perire cito?*

Milo, teſte Plinio, lib. XXXVI. cap. XV. præter ampliſsimum patrimonium conſumptum, debuit æris alieni *ſeſtertium ſeptingenties*, ſive tres milliones cum ſemiſſe. De Apicio memorat Seneca, eum diſsipaſſe *ſeſtertium nongenties*. Iſti ſunt milliones quatuor cum ſemiſſe. Vis audire? Sic inquit, Conſolat.

lat. ad Helviam, cap. x. *Cùm ſeſtertium millies in culinam congeſſiſſet, cùm tot congiaria principum, & ingens Capitolij vectigal, ſingulis comeſſationibus hauſiſſet, ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit. Superfuturum ſibi ſeſtertium centies computavit, & velut in ultimâ fame victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finivit.* Illudit Martialis lib. III. epigr. XXII.

*Dederas, Apici, bis trecenties ventri,*
*Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum.*
*Hoc tu gravatus, ut famem, & ſitim, ferre,*
*Summâ venenum potione duxiſti.*
*Nil eſt, Apici, tibi guloſius factum.*

Sed tu corrige: *ter trecenties.* Orta menda eſt ex confuſione notarum II. & III. Et attende ſodes; præter nongenties iſtud, quod culina hauſerat, tot congiaria Principum, & ingens Capitolij vectigal, ſingulis commeſſationibus perdiderat. Cæſar Dictator, ut Appianus auctor, opus ſibi eſſe dicebat *ſeſtertio bis millies quingenties*, ſive duodecim millionibus cum ſemiſſe, ut nihil haberet; id eſt, ut creditoribus æs alienum perſolveret. Ille ipſe, narrat Plinius libr. XXXVI. cap. XV. *Solum tantùm foro extruendo ſeſtertio millies emit.* Hui! ſolum ergo fori conſtitit quinque millionibus? Ita. Et audi aliud,

quod vix quiſquam credat. Caligula, anno non toto, prodegit *ſeſtertium tricies ac ter millies*: id eſt, centum ſexaginta quinque milliones. At quî potuit? Suetonius diſtinctè narrat, cap. XXXVII. *Nepotinis ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperavit: commentus novum balnearum uſum, portentoſiſſima genera ciborum, atque cœnarum: ut calidis frigidisq́ue unguentis lavaretur: pretioſiſſimas margaritas, aceto liquefactas, ſorberet: convivis ex auro panes, & obſonia, apponeret: aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem. Quin & nummos non mediocris ſummæ è faſtigio baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſparſit in plebem. Fabricavit & de cedris Liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis; magna thermarum, & porticuum, & tricliniorum, laxitate; magnaq́ue etiam vitium, & pomiferarum arborum, varietate; quibus diſcumbens de die inter choros, ac ſymphonias, litora Campaniæ peragraret. In exſtructionibus prætoriorum, atque villarum, omni ratione poſthabitâ, nihil tam efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur. Et jactæ itaque moles infeſto ac profundo mari, exciſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga, in-*
*cre-*

*credibili quidem celeritate, cùm mora culpa capite lueretur.* Vides ingenium in luxum intentum, & tot perdendarum opum modos. At necdum ſe omnes enumerare Svetonius teſtatur. Obſtupeſco. Et nemo hoc poterat, niſi qui Imperator Romanus. Sed & civium ſplendidorum multi in hoc ludo regnabant. Age, videamus: ordinem præit Seneca, epiſt. cxiv. Hunc ſequemur. Verba iſta ſunt. *Ubi luxuriam latè felicitas fudit, cultus primùm corporum eſſe diligentior incipit, deinde ſupellectili laboratur, deinde in ipſas domos impenditur cura, ut in laxitatem ruris excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor: deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex novitate, & ſoliti ordinis commutatione, captatur: ut ea, quæ cludere cœnam ſolent, prima ponantur; ut, quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur.* In his ergo tribus omnis luxus verſatur: in cultu primò corporis, deinde ædium, poſtremò conviviorum. Inſpiciemus ſingillatim.

## CAPUT III.

*Corpus levigatum, item facies: ea quoque fucata. In levigatione, uſus panis madidi. Coma fracta in gradus, & unguentis delibuta. Officinæ odorariorum. Greſſus ſuſpenſus, & ejus rei Scholæ.*

INitium eſt in corporum cultu, atque in hoc conſiderandum primò ipſum corpus; deinde, quæ circà illud, veſtes. In corpore ipſo, captata levitas, facies fucata, greſſus mollis ac ſuſpenſus, & quidem à viris, quod gravius opprobrium. Seneca objurgat, & deteſtatur, Nat. Quæſt. lib. VII. cap. XXXI. *Adhuc quicquid eſt boni moris extinguimus levitate & politurâ corporum. Muliebres munditias anteceſſimus, colores meretricios, matronis quidem non invidendos, viri ſumimus. Tenero, & molli, ingreſſu ſuſpendimus gradum, non ambulamus.* Corporis levitatem non uno epigrammate perſtringit Martialis; & de ipſo Julio narrat Svetonius cap. XLV. *Circa corporis curam moroſior, ut non ſolùm tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam: ut quidam exprobraverunt.* Comam frangebant

in

in gradus. Idem Svetonius de Nerone, cap. LI. *Circà cultum, habitumque, adeò pudendus, ut comam, ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaicâ etiam pone verticem ſummiſerit.* Quintilianus, lib. I. ca. VI. *Velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc invaſerint civitatem, non erit conſvetudo, quia nihil horum caret reprehenſione.* Seneca Rhetor, Controverſ. I. *Capillum frangere, & ad muliebres blanditias vocem extenuare, mollitie corporis certare cum fœminis, & immundiſſimis ſe excolere munditiis, noſtrorum adoleſcentium ſpecimen eſt.* Et hæc delibuta unguento. Irridet ſæpè Martialis. Horatius libr. II. Od. XI.

*Cur non ſub altâ vel platano, vel hâc*
*Pinu, jacentes ſic temerè, & roſâ*
*Canos adorati capillos,*
*Dum licet, Aſſyriâq; nardo*
*Potamus uncti?* ——

Juvenalis Sat. IV.

*Et matutino ſudans Criſpinus amomo,*
*Quantum vix redolent duo funera.* ——

Et frequens apud Ovidium, Catullum, Tibullum, Propertium. Itaque officinæ erant eorum, qui odores coquerent. Seneca, Epiſt. XC. *Hinc fabrorum of-*

*ficinæ ſint, hinc odores coquentium.* Faciem quod attinet, eam quàm maximè nitentem cupiebant, itaque levigabant, & pane linebant. Juvenalis.

*Sed quæ mutatis inducitur, atq́ movetur,*
*Tot medicaminibus; coctæ ſiliginis offas*
*Accipit, & madidæ facies dicentur, an ulcus?*

Suetonius de Othone, cap. XII. *Faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſuetum: idq́ inſtituiſſe à primâ lanugine, ne barbatus unquam eſſet.* Ingreſſum planè ſuſpendebant, ut cæpi dicere ex Senecâ: & huic rei doctores etiam. Ipſe Seneca, Epiſt. XC. *Hinc (officinæ) molles corporis motus docentium, & infractos.*

## CAPUT IV.

*Veſtes preſſæ, ut niterent. Earum magnus numerus, isq́ oſtenſus, cùm in convivio, tùm balneo. Pretium lacernarum, & tricliniarium. Lex Julij, de conchyliatis; Tiberij, de ſericis. Holoſericæ quando cæperint. Luxus muliebris.*

In

IN veſtibus ipſis artificioſa luxuria. Domi eas ſub prelis habebant, ut in publico niterent. Ammianus libr. XXVIII. *Solitis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitrâ diligenter explorat.* Seneca, De Tranquill. cap. I. *Non ex arculâ prolata veſtis; non ponderibus, aut tormentis, ſplendere cogentibus, preſſa; ſed domeſtica, & vilis.* Martialis lib. II. Epigram. XLVI.

*Sic tua ſuppoſitis perlucent prela lacernis.*

Et magno has numero habebant. Plutarchus, in Lucullo. Στρατηγοῦ δέ ποτε φιλοτιμουμένου περὶ θέας, καὶ χορῷ τινι κόσμον αἰτουμένου πορφυρᾶς χλαμύδας, ἀπεκρίνατο, σκεψάμενος, ἂν ἔχῃ, δώσειν. εἶτα μεθ' ἡμέραν ἠρώτησεν αὐτὸν, ὁπόσων δέοιτο. τοῦ δὲ, ἑκατὸν ἀρκέσειν φήσαντος, ἐκέλευσε λαβεῖν δὶς τοσαύτας. *Prætori cuidam, qui, ſpectaculum edere quàm ſplendidiſsimè cupiens, ad eum venerat, petitum chlamydas aliquot, quibus chorum exornaret, inſpecturum reſpondet, an tot habeat; &, ſi habeat, daturum: poſtridiè ex eo quæſivit, quotnam cuperet, centumq́; ſatis eſſe reſpondentem, ducentas accipere juſsit.* Martialis loco citato, de quodam.

*Sic micat innumeris arcula ſyntheſibus.*

*Atq́;*

*Atq; unam veſtire tribum tua candida poſſint,*
*Apula non uno quæ grege terra tulit.*

Itaq; ſæpiſsimè mutabant in uno convivio, ad oſtentationem. Idem, lib. v. Epigr. LXXXI.

*Undecies unâ ſurrêxti Zöile cœnâ:*
*Et mutata tibi eſt ſyntheſis undecies.*

Et, ad balnea abeuntes, plurimas ſecum portabant. Irridet Ammianus, loco jam citato. *Quùm à Silvani lavacro vel Mammeæ aquis ventitant ſoſpitalibus, ut quiſquam eorum egreſſus tenuiſsimis ſe terſerit linteis, ſolitis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitrâ diligenter explorant, quæ unà portantur, ad juvandos homines undecim.* Pretium autem iis ſanè immenſum; itaque lacernas erant qui emere auderent *decem millibus nummûm*, id eſt, quingentis Carolinis. Martialis Epigr. LXI.

*—— millibus decem dîxti*
*Emptás lacernas munus eſſe Pompillæ.*

Item, lib. VIII. Epigr. X.

*Emit lacernas millibus decem Baſſus.*

Capitoni objecit Metellus Scipio, quod tricliniaria Babylonica vendidiſſet *octingentis millibus*, ſive Carolinis quater millibus: ea autem Nero poſteà emit *ſeſtertio quadragies*, id eſt, Carolinorum ducentis millibus. Fidem res exuperat, ſed eam meretur

retur Plinius. Ille tradit lib. viii. cap. xlviii. *Metellus Scipio tricliniaria Babylonica ſeſtertiûm octingentis millibus veniſſe jam tunc poſuit in Capitonis criminibus, quæ Neroni Principi quadragies ſeſtertio nuper ſtetere.* Pretium excandeſaciebant duo; color, & materia: ille conchyliatus, hæc ſerica. Quod ad colorem, de ejus pretio ſic Plinius, libr. ix. cap. xxxv. *Conchylia, & purpuras, omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria penè etiam margaritis pretia fecit.* Et libra ejus, cùm emeretur priùs denariis centum, ſive florenis viginti, mox, exagitante luxu, ſupra mille denarios, id eſt, ducentos florenos aſcendit. Idem Plinius, libro citato, cap. xxxix. *Nepos Cornelius, qui Divi Auguſti principatu obiit; Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille emi non poterit.* Ac veſtibus quidem eâ tinctis, et, quæ circa illas, luxuriæ, frenum injecit ſuo tempore Cæſar Julius; neq; permiſit uſum, niſi certis ætatibus, perſonis, diebus. Suetonius cap. xliii. *Lecticarum uſum, item conchyliatæ veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis, & ætatibus, perq; certos dies, ademit.* Sericæ,

eæq; tenuiſsimæ, fæminis maximè uſitatæ. Seneca queritur, De Benefic. libr. VII. cap. IX. *Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor, poſsit. Quibus ſumptis, mulier parum liquidò, ſe nudam non eſſe, jurabit. Hæc ingenti ſummâ ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, ut matronæ quidem noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico oſtendant.* Tamen viri utebantur, donec Tiberius edixit. Dio, libro LVII. Σταλιλίου δὲ Ταύρου μετὰ Λουκίου Λίβωνος ὑπατευσάντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι. *Statilio Tauro, L. Libone Coſs. Tiberius edixit, ne quis vir ſericâ veſte uteretur.* Atque hæc quidem ſubſerica intelligenda eſt; nam holoſericæ uſus primus initium cæpit ab Heliogabalo. Lampridius de eo. *Primus Romanorum holoſericâ veſte uſus fertur, quùm jam ſubſerica in uſu eſſet.* Sed de pretio: quis non obſtupeſcat, ad octingenta illa millia Capitonis? quis non ad quadragies ſeſtertium Neronis? Et, profectò, maximè hîc modum exceſsit ſequior ſexus. Itaq; paſsim erat eum videre indutum veſtibus, quibus impenſi toti cenſus. Audi Propertium, lib. III.

*Matro-*

*Matrona incedit cenſus induta nepotum.*

Adeoque de Lolliâ Paullinâ narrat Plinius lib. IX. cap. XV. viſam à ſe, *ne ſerio quidem ac ſolenni cæremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cænâ, ſmaragdis margaretisq́ opertam, alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitisque, quæ ſummam quadringenties ſeſtertium colligebant, ipſâ confeſtim paratâ mancupationum tabulis comprobare.* Quis hic ſtupor eſt? quadringenties illud ſeſtertium efficit duos milliones. Nec tamen hic veſtium adhuc ſumptus cenſetur: ſolæ gemmæ tanti conſtiterunt, quibus illa paſsim totum corpus ornaverat. Quid? ſoláne? non certè: quaſi certatim faciebant omnes matronæ. Manilius.

*Perq́ caput ducti lapides, per colla, manusque.*

Plinius libr. XXXIII. cap. III. *Habeant fœminæ in armillis, digitisque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrant catenæ circà latera, & inſerta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendeant, ut in ſummo quoq́ unionum conſcientia adſit.*

## CAPUT V.

*Julij Cæſaris edictum de margaritis. Luxus in inauribus, monilibus, lineis, armillis, annulis, calceis, umbraculis, ac flabellis. Severus moderatus eſt in parte, & uxor Heliogabali. Speculorum magnitudo, & pretium.*

SEd Lolliæ Paulinæ ornatum adhuc ruminor: et, an bonâ fide Plinius? Omninò. Examinemus per partes, & incipiamus à capite. Ornabant in eo crines, ſpiras, aures, auro, & gemmis pretioſiſsimis, quæque quàm multos cenſus æquabant. Hieronymus, in Epiſt. ad Lætam. *Nec collum auro, & margaritis, premas; nec caput gemmis oneres.* Gaudentius, Tract. XIII. *Quædam fœminæ onerant auro, & margaritis, vel ſua, vel filiarum, membra.* Occurrere voluit Julius Cæſar, margaritarum abuſum moderatus. Suetonius cap. XLIII. *Uſum margaritarum, niſi certis perſonis, & ætatibus, perque certos dies, ademit.* Clariùs Euſebius, in Chronico. *Probibitum eſt lecticis, margaritisque, uti; quæ nec viros, nec liberos, haberent; & minores eſſent annis quadraginta quinque.* Sed non obtinuit. Inprimis verò

verò magnus luxus aurium. Seneca, De beatâ vitâ, cap.XVII. *Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit?* Hui, quæ iſtæc res? in auribus ſolis locupletis domus cenſum? Ita eſt; nihil mentitur. Nunquid Serviliæ margaritam Julius emit ſexagies ſeſtertio, ſive trecentis millibus florenorum? Suetonius cap. L. *Ante alias dilexit M. Bruti matrem Serviliam, cui & proximo ſuo Conſolatu ſexagies ſeſtertio margaritam mercatus eſt.* De Cleopatræ unione nunquid certum eſt, ſupra *centies ſeſtertium*, ſive quingenta millia florenorum valuiſſe? Sed hæc regina, inquies, & quidem Ægypti. Quid tum posteà: nihil huic concedebant matronæ Romanæ. Tertullianus, De Hab. Mul. *Graciles aurium cutes calendarium expendunt.* Et, quaſi in quodam luxus certamine, conjungebant uniones duos, tres, quatuor; atque ita geſtabant, & quidem ex ſingulis auribus. Plinius lib. IX. cap. XXXV. de unionibus loquens. *Hos digitis ſuſpendere, & binos, ac ternos, auribus, fæminarum gloria eſt. Subeunt luxuriæ ejus nomina, & tædia, exquiſita perdito nepotatu: ſiquidem cùm id fecêre, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum.* Seneca, De Benefic. lib. XII. cap. IX. *Video uniones,*

*non ſingulos ſingulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt: junguntur inter ſe, & inſuper alÿ binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros ſubjecerat, niſi bina, ac terna, patrimonia auribus pependiſſent.* Viden? bina, ac terna, patrimonia; pro numero videlicet unionum. Hinc illud, De Tranquill. lib. II. cap. XIV. *Quid refert, quantum (mulier) habeat; quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam ſellam.* Et oſtentatio erat, in gemmarum varietate. In L. pediculis, XXXII. D. de auro, arg. mundo, leg. *Inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi, & ſmaragdi duo.* Veniamus ad collum, ac latera: hîc conſpiciebantur monilia, lineæ, ac catenæ. Plinius. *Diſcurrant catenæ circa latera; & inſerta margaritarum pondera è collo dominarum auro pendeant, ut in ſummo quoq; unionum conſcientia adſit.* Et vis linearum ſumptum? Hieronymus, in vitâ Pauli Eremitæ. *Uno filo villarum inſunt pretia.* Tertullianns De Habitu Muliebri. *Uno lino decies ſeſtertium inſeritur.* Hoc eſt, quinquaginta millia florenorum. Et de monilibus, ille ipſe, ibidem. *Saltus, & inſulas, tenera cervix fert,* Id eſt, pretia ſaltuum, & inſularum. Erant & mamillarum ornamenta. In l. *pediculis* citatâ. *Ornamen-*

*namenta mamillarum ex cylindris triginta quatuor, & tympaniis margaritis triginta quatuor.* In brachiis,& digitis,armillæ erant; ſive brachialia,annulique: & ibi quoq; magnæ impenſæ. De brachialibus, Tertullianus, loco citato. *Circulos ex auro, quibus brachia artantur.* Sed annulorum luxus, viris communis cum matronis. Geſtabant autem in omnibus digitis. Martialis lib. v. Epigr. LXIII.

*Per cujus digitos currit levis annulus omnes.*

Quid digitos dico? in omnibus articulis debebam. Seneca, Nat. Quæſt. lib. VII. cap. XXXI. *Exornamus annulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur.* Et hoc adhuc parum. In ſingulis articulis plures, Martialis lib. v. Epigr. XI.

*Sardonichas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas, uno*
*Verſat in articulo Stella, Severe, meus.*

At quantum hîc cenſes inſumptum,in tanto annulorum numero, & gemmarum? Nonne centena aliquot millia florenorum? Non poteſt aliter. Tertullianus, De Hab. Mul. *In ſiniſtrâ per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* At quantum in ſaccis, ſive loculis,habebant? Idem Auctor paullò ante dicit. *Breviſsimis loculis patrimonium grande profertur.* Ergò in ſingulis annulis expenſa ſingula patrimonia, quod

quod de inauribus ſupra Seneca. Et ecce tibi, Nonius Senator, proſcriptus ab Antonio, unum ſecum abſtulit, cujus pretium æquabat *viginti mille ſeſtertia*, id eſt, decies centena millia florenorum. Plinius memorat, lib. XXXVII. cap. VII. *Ab Antonio proſcriptus Nonius Senator fugiens, è fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum, quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum.* In baltheis, & vaginis, idem luxus. Tertullianus. *Latent in cingulis ſmaragdi, & cylindros vaginæ ſuæ ſolus gladius ſub ſinu novit.* Adeatur Cod. lib. XI. Tit. XI. Videamus pedes. Neque hic luxus minor. Crepidarum, atque ſocculorum, vincula erant aurea. Manilius:

*Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.*

Habebant & gemmas. Tertullianus, loco citato. *Et in peronibus uniones emergere de luto cupiunt.* Lampridius, de Heliogabalo. *Habuit in calciamentis gemmas, & quidem ſculptas, quod riſum omnibus movit; quaſi poſſent ſculpturæ nobilium artificum videri in gemmis, quæ pedibus adhærerent.* Neque margaritæ, aut uniones, in iis tantùm, ſed etiam ſub iis. Et Plinius ſcribit. *Non crepidarum tantùm obſtragulis, ſed & totis ſocculis addi. Neq; enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam*

*am ambulent, ſatis eſt.* Severus moderatus eſt luxum, ut tradit in vitâ ejus Lampridius. Heliogabali etiam uxor, & matronarum habito delectu, niſi quibuſdam, non permiſit. Lampridius auctor eſt. *Semiramica facta ſunt Senatuſconſulta ridicula, de legibus matronarum: quæ quo veſtitu incederent; quæ aurum, vel gemmas, in calceamentis haberent.* Quid de umbraculis, ac flabellis, dicemus? an non & hæc compoſita ad luxum? Quis dubitet? Clarè Ammianus, lib. XXVIII. *Si inter aurata flabella laciniis ſericis inſederint muſcæ, vel per foramen umbraculi penſilis radiolus irruperit ſolis, queruntur, quod non ſint apud Cimmerios nati.* Horum omnium pretia computemus, facilè de Lolliâ iſta credemus, ornatum ejus quadringenties ſeſtertio conſtitiſſe. Finiam autem fæminarum hunc luxum in ſpeculis. Ea magna erant, & ad corporis totius inſtar, in auro, argento, cælato, gemmato; itaq; magnum etiam pretium. Attendamus Senecam, Nat. Quæſt. lib. I. cap. XVII. *Rerum jam potiente luxuriâ, ſpecula, totis paria corporibus, auro, argentoque, cælata ſunt, denique gemmis adornata: & pluris unum ex his fœminæ conſtitit, quàm antiquarum dos fuit.* Et mox. *Jam libertinorum virgunculis in unum ſpeculum*

D *lum*

*lum non ſufficit illa dos, quam dedit Senatus pro Scipione.* At dos illa fuit *undecim millia æris*, ſive ducenti & viginti Carolini, ut ſuprà diximus. Tanti emerunt filiæ libertinorum; quid jam honeſtiſsimorum civium, quid equitum, quid Senatorum feciſſe cenſebimus? Sine dubio exceſſerunt multum, pro ratione, & modo, dignitatis.

## CAPUT VI.

*Comitatus virorum, & matronarum. Ejus multitudo, ornatus, ordo. Inſtituebant hunc præfecti familiæ, quorum inſignia virgæ.*

PRoximè veſtes, comitatum dabimus: nam & in hoc luxus fuit. Itaque, prodituri in publicum, ſaltem decem, aut octo, ſervos comites trahebant. Juvenalis Sat. VII.

*Fidimus eloquio? Ciceroni nemo ducentos*
*Nunc dederit nummos, niſi fulſerit annulus ingens.*
*Reſpicit hæc primùm, qui litigat; an tibi ſervi*
*Octo decem comites, an poſt te ſella, togati*
*Ante pedes.* ———— ————

Sed hic numerus erat cauſidicorum; & exiguus adhuc, præ quàm aliorum. Ammianus libr. XXVIII.

*Ubi,*

*Ubi, comitantibus ſingulos quinquaginta miniſtris, tholos introïerint balnearum, &c.* Idem libr. xiv. *Familiarium agmina, tanquam prædatorios globos, poſt terga trahentes; ne Sannione quidem, ut ait Comicus, domi relicto.* Et de Tigellio narrat Horatius, lib. i. Sat. iii. habuiſſe ſæpè ducentos. Multi millenos aliquot. Athenæus lib. vi. Μυρίους, καὶ δισμυρίους, (οἰκέτας,) καὶ ἔτι πλείους δέ, πάμπολλοι κέκτηνται: οὐκ ἐπὶ προσόδοις δέ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας: ἀλλ' οἱ πλείους, τῶν Ῥωμαίων συμπροϊόντας ἔχουσι τοὺς πλείστους. *Decem, immò viginti mille, & plures quoque ſervos habent, non quæſtus causâ, ut ille Græcorum ditiſſimus Nicias, ſed pleroſq; in publico comitantes.* Neque numerus hîc duntaxat oſtentabatur, ſed & veſtium ornatus; qui magnificus valdè, licet in ſervis. Seneca, De Tranquill. cap. i. *Præſtringit animum apparatus alicujus pædagogij, diligentius, quàm intrà privatum larem, veſtita, & auro culta, mancipia, & agmen ſervorum nitentium.* Et, ſoli ne viri proceſſerunt comitati? non. Immò etiam matronæ, quæ hîc viros exceſſere. Nam, tanquàm agmen aliquod ducerent, in ordinem cogebant; idq; munus præfectorum familiæ, qui inſignia virgarum

manu dexterâ geſtabant. Omnem luxum nobis egregiè deſcribit Marcellinus, lib. XIV. *Quo comitatu matronæ complures, opertis capitibus, & baſternis, per latera civitatis cuncta diſcurrunt. Utque præliorum periti rectores primò catervas denſas opponunt, & fortes, deinde leves armaturas, poſt jaculatores, ultimasq́ ſubſidiales acies, ſi fors adegerit, invaſuras: ita, præpoſitis urbanæ familiæ ſuſpenſæ digerentibus ſollicitè, quos inſignes faciunt virgæ dextris aptatæ, velut teſſerâ datâ caſtrenſi, juxtà vehiculi frontem omne incedit textrinum; huic atratum coquinæ adjungitur miniſterium; deinde totum promiſcuè ſervitium, cum otioſis plebeis de vicinitate conjunctis, poſtrema multitudo ſpadonum, à ſenibus in pueros deſinens, coloris obluridi, diſtortaque lineamentorum compage deformis.* Hinc Hieronymus, in Epiſtolâ ad Furiam. *Noli ad publicum ſubinde procedere; et, ſpadonum exercitu præeunte, viduarum circumferri libertate.* Animadverte. *Exercitum ſpadonum* dicit: & vides cauſam ex Ammiano. Inter hos quoq; moriones, empti ingentibus ſæpè pretiis: nam, cùm alios ſervos emerent plerumque ſex millibus nummûm, ſive trecentis florenis, ut oſtendo infrà, cap. XVI. hos emebant

bant longè pluris: & aliquando viginti millibus nummûm, ſive florenis mille. Martialis irridens, lib. VIII. Epigr. XIII.

*Morio dictus erat: viginti millibus emi.*
*Redde mihi nummos, Gargiliane, ſapit.*

## CAPUT VII.

*Vaſa coquinaria, ac menſalia, argentea. Lancium ingentia pondera. Poſteà auro illigari cæpta: mox etiam ex eo ſolido facta. Tiberij edictum. Univerſum menſæ miniſterium æſtimatum.*

SEquitur ſuppellex, in quâ ſimiles ſui fuerunt iſti luxuriantes. Ac vis ſcire? in exiguá ſæpe diſpendebant opes non ſanè exiguas. Martialis in Quinctum lib. III. Epigr. LXII.

*— conſtat decies tibi non ſpatioſa ſupellex.*

Vides impenſam quinquaginta millium Carolinorum. Atque adeò una ſecuricula empta eſt nummûm quadringentis millibus, ſive Carolinorum viginti millibus. Martialis lib. XIV. Lemmate XXXV. quod eſt Securicula.

*Cùm fieret triſtis ſolvendis auctio nummis,*
*Hæc quadringentis millibus empta fuit.*

Oſtendemus magis, & incipiemus à vaſis coquinariis, quæ illi argentea habuerunt. Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Vaſa coquinaria ex argento Caluus orator fieri queritur? at nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Ulpianus in l. cùm aurum XIX. §. ſi cui eſcarium D. de auro, arg. mundo leg. *Cacabos argenteos habebat, vel miliarium argenteum, vel ſartaginem, vel aliud vas ad coquendum.* Sed ad cacabos quod attinet; argenteos illos ante Heliogabalum habuit nemo. Lampridius de eo. *Primus menſas argenteas habuit, primus etiam cacabos.* Nemo igitur hæc mirabitur; nemo menſalia, niſi quanta: quippe magnitudo, & pondus, hoc merentur. Juvenalis Sat. III.

*—— quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri*
*Jugera; quàm multâ, magnâque, paropſide cœnat.*

De Heliogabalo narrat Lampridius, habuiſſe eum *vaſa centenaria argentea ſculpta.* Ecce, vaſa centum librarum Heliogabali; quæ tamen ille ſolus non habuit, ſed cum eo, & ante eum, plures. At hoc parum eſt. Imperante Claudio, Druſillanus quidam, ſervus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, habuit

lan-

lances quingentarum. Tertullianus, De Pallio. *Vereor ſanè, ne parva ſit iſta trutina; cùm Druſillanus, & quidem ſervus Claudij, quingenariam promulſidem ædificat.* Et hoc parum. E comitibus ejus nonnulli octingentarum, & ſupra. Audiamus narrantem bonâ fide Plinium, lib. XXXIII. cap. XI. *Lances è centenis libris argenti tunc ſuper quingentas numero Romæ fuiſſe conſtat; multosque ob eas proſcriptos, dolo concupiſcentium.* Et mox addit. *Claudij principatu, ſervus ejus Druſillanus, nomine Rotundus, diſpenſator Hiſpaniæ citerioris, quingenariam lancem habuit; cui fabricandæ priùs officina exædificata fuerat: & comites ejus, octingentarum octo quinquaginta librarum: quæſo, ut quàm multi eas conſervi ejus inferrent, aut quibus cœnantibus?* Sed magnitudo hæc profectò nimia, & rara: modeſtiores alij fuerunt, qui modum excedere juſtum noluerunt. Pretium verò omninò magnum; impendebant enim multa millia, in ſingulas libras. Narrat de L. Craſſo Oratore Plinius, libro citato. *Conſtat eundem ſex millibus ſeſtertiis* (id eſt, trecentis Carolinis) *in ſingulas libras vaſa empta habuiſſe.* Martialis de Quincto.

*Libra quod argenti millia quinque rapit.*

Fue-

Fuerunt autem non ſemper ex ſolo argento: quin mox aurum illigari cæptum eſt. Martialis, libr. II. Epigr. XLIII.

*Immodici tibi flava tegunt chryſendeta mulli,*
*Concolor in noſtrâ, cammare, lance rubes.*

Iterum Epigr. LIII.

*Si ridere potes miſeri chryſendeta Cinnæ.*

Paulus in l. pediculis, XXXII. D. de auro, arg. &c. *Auro facto adnumerantur gemmæ, annulis incluſæ, (quippe annulorum ſunt,) cymbia argentea, cruſtis aureis illigata.* Et Ulpianus, l. cùm aurum. XIX. D. h. t. *Aurea emblemata, quæ in abſidibus argenteis.* Poſteà etiam ex auro fecerunt, tam pudendo luxu, ut ventris quoque onera iſtis exciperent. Tertullianus, De Hab. Mul. *Etiam ad ſpurca inſtrumenta auri, & argenti, demens copia deſeruit.* Exprobrat Baſſæ Martialis, lib. I. Epigr. XXXVII.

*Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro,*
*Baſſa.* ——

Tamen hæc frugaliores etiam ex argento habebant. Ulpianus, in l. Q. Mutius. XXVII. D. Tit. jam toties citato. *Argento legato non puto ventris cauſſâ habita ſcaphia contineri.* Modum ſtatuit in ſuo principatu Tiberius; vetuitque, ne quis vaſis aureis uteretur,

retur, niſi ad rem ſacram. Dio. lib. LVII. Στατιλίȣ δὲ Ταύρȣ μετὰ Λȣκίȣ Λίβωνος ὑπατεύσαντος, ὁ Τιβέριος ἀπεῖπε μὲν ἐσθῆτι σηρικῇ μηδένα ἄνδρα χρῆσθαι, ἀπεῖπε δὲ καὶ χρυσῷ σκεύει μηδένα, πλὴν πρὸς τὰ ἱερά, νομίζειν. *Siſennâ Statilio Tauro, L. Libone Coſſ. edixit, ne quis vir ſericâ veſte uteretur, neu quis aurea vaſa, niſi ad rem ſacram, haberet.* Vidiſti per partes, at quanti nunc cenſes univerſum menſæ miniſterium? Plinius oſtendit, lib. XXXIII. cap. XI: ubi de Scipione Africano. *Cùm de Pœnis triumpharet, quatuor millia quadringenta ſeptuaginta tria pondo tranſtulit. Hoc argenti tota Carthago habuit, illa terrarum imperij æmula, quod nunc in menſarum eſt apparatu.* Jam, ſi, calculo Pliniano, in libras ſingulas trecentos Carolinos computemus, ea ſumma effectura eſt tredecies centena ac viginti ſeptem millia, & nongentos Carolinos.

## CAPUT VIII.

*Pocula è conchâ, onyche, argento, auroque; & eo cælato, gemmato. Cuſtodes his appoſiti. Magnitudo, pretium. Hoc in Myrrhinis quoque & cryſtallinis indicatum, item candelabris.*

POculorum ut luxus magnus, ita pretium. Et varia illa fuere; ſiquidem bibebant ex onyche. Plinius lib. XXXVII. cap. VII. *Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec uſquam alibi, naſci putavére noſtri veteres: Sudines, in Germaniâ; potoriis primùm vaſis inde factis; dein pedibus lectorum, ſelliſque. Cornelius Nepos, tradit fuiſſe magno miraculo, cùm P. Lentulus Spinter amphoras ex eo, Chiorum magnitudine cadorum, oſtendiſſet.* Vel ex conchâ etiam. Juvenalis, Sat. VI.

*Cùm perfuſa mero ſpumant unguenta Falerno,*
*Cùm bibitur conchâ.* ——

Vel ex auro, argentóve, vario opere cælato. Juvenalis Sat. I.

*Argentum vetus, & ſtantem extra pocula caprum.*

Martialis.

*Stat caper in phialâ, Thebani vellere Phryxi*
*Cultus; ab hoc mallet vecta fuiſſe ſoror.*

Vel gemmis etiam ornata. Plinius, in Procemio lib. XXXIII. *Turbâ gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices: ac temulentiæ cauſſâ tenere Indiam juvat; & aurum jam acceſſio eſt.* Capitolinus, in Vero. *Data etiam aurea, atque argentea, pocula gemmata.* Itaque appoſiti in conviviis cuſtodes, qui

qui obſervarent, ne quis aliquas ex iis avelleret. Juvenalis, Sat. v.

*—— —— ipſe capaces*
*Heliadum cruſtas, & inæquales beryllos,*
*Virro tenet phialas; tibi non committitur aurum,*
*Vel, ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,*
*Qui numeret gemmas, unguesq́. obſervet acutos.*

Nec ornata tantùm gemmis, ſed & facta ex iis habebant. Pacatus, in Panegyrico. *Parum ſe lautos putabant, niſi æſtivam in gemmis capacibus glaciem falerna fregiſſent.* Cicero, Verr. vi. *Erat etiam vas vinarium, ex unâ gemmâ pergrandi trullâ excavata, cum manubrio aureo.* In horum autem magnitudine oſtentatio erat, & pompa. Et obſerva apud Juvenalis Interpretem, Sat. ix. *Fabricius Cenſor collegam ſuum notavit in Senatu, quia ſupra decem libras argenti unam phialam invenit.* Computemus hujus pretium per libras; fuerit hæc phiala trium millium Carolinorum. Ejuſdem pretij ſcyphos duos habuit L. Craſſus, Orator. Plinius, libr. xxxiii. cap. xi. *L. Craſſus Orator duos ſcyphos, Mentoris artificis manu cælatos, ſeſtertiis centum millibus emptos, habuit.* Longè argentum, aurúmve, excedunt myrrhina, quæ conſtiterunt Carolinis quater milli-

bus: adeoque T. Petronius, moriens, trullam myrrhinam, emptam trecentis ſeſtertiis, id eſt, quindecim millibus, confregit, ne eâ Nero potiretur. Plinius, libr. XXXVII. cap. II. *Creſcit indies ejus rei luxus, murrhino octoginta ſeſtertiis empto, capaci planè ad ſextarios tres calice.* Et mox. *T. Petronius Conſularis, moriturus, invidiâ Neronis principis, ut menſam ejus exheredaret, trullam murrhinam, trecentis emptam ſeſtertiis, fregit.* Sunt et, qui trullam cryſtallinam emerint Carolinis ſeptem millibus quingentis. Idem Plinius. *Alius hic furor, HS. centum quinquaginta millibus trullam (cryſtallinam) unam non ante multos annos mercatam à matrefamilias nec divite.* Et attende, quæſo; tanti emerat materfamilias, eaque non dives: quid jam divites feciſſe cenſes! Sed à poculis ad candelabra, & lucernas, traſibo, & ita finem capiti imponam. Quem verò hîc luxum fuiſſe putamus? Ex argento erant. Ulpianus, in citatâ l. cùm aurum. *Nec candelabra, nec lucernæ argenteæ.* Itaque tam grande pretium. Diſcamus à Plinio, lib. XXXIV. cap. III. *Privatim Ægina candelabrorum ſuperficiem duntaxat elaboravit, ſicut Tarentum ſcapos. In his ergò juncta commendatio officinarum eſt. Nec pudet tribunorum mili-*

*militarium ſalariis emere, cùm ipſum nomen à candelarum lumine impoſitum appareat.* Atque tribunorum iſtorum ſalarium, erant ſeſtertia quinquaginta, ſive bis mille quingenti Carolini. Et vel ſolis certè illis divites cenſeri poterant, Aſterius, Hom. in Avar. Τῷ μὲν, ἔλαιον ἐνδεῖ, πρὸς τὸ λύχνον ἀνάψαι· καὶ ἄλλος, μόναις ταῖς λυχνίαις πλουτεῖ. *Huic quidem, oleum deeſt, quo lychnum accendat: alius verò, ſolis candelabris dives eſt.*

## CAPUT IX.

*Menſæ rotundæ, ac latæ; etiam antiquæ. Pedes eburni, formam animalium referentes. Ipſæ citreæ primùm, è ligno nodoſo: & earum pretium. Mox aureæ, inde argenteæ. Earum origo; circuli, gemmis ornati.*

MEnſas habebant rotundas, ac latas. Seneca, Conſolat. ad Helviam cap. xi. *Lapides, aurum, & argentum, & magni levatiq; menſarum orbes, terrena ſunt pondera.* Cicero, Verr. vi. *Maximam, & pulcherrimam, menſam citream à L. Lutadio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio à L. Syl-*

*lâ civis Romanus factus eſt, omnibus ſcientibus, Lilybæi abſtuliſti.* Juvenalis, Sat. I.

*Nam de tot pulchris, & latis, orbibus, & tam*
*Antiquis, unâ comedunt patrimonia menſâ.*

Et obſerva illic, *Antiquos orbes.* Hoc enim quoque jactabant, longâ majorum ſucceſsione ad ſe perveniſſe. Seneca, De tranquill. cap. I. *Menſa, non varietate macularum conſpicua, nec per multas elegantium dominorum ſucceſſiones, civitati nota, ſed in uſum poſita, quæ nullius convivæ oculos nec voluptate moretur, nec accendat invidiâ.* Et habebant magno numero: ſæpè centenas aliquot. Martialis libr. VII. Epigr. XLVII.

*Cùm menſas habeat ferè trecentas,*
*Pro menſis habet Annius miniſtros.*

Pedes menſarum, erant eburni. Martialis, libr. II. Epigr. XLIV.

*Tu Lybicos Indis ſuſpendis dentibus orbes:*
*Fulcitur teſtâ fagina menſa mihi.*

Juvenalis, Sat. XI.

*Nil rhombus, nil dama ſapit: putere videntur*
*Unguenta, atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes*
*Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu,*
*Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,*
*Et Mauri celeres, & Mauro obſcurior Indus,*

*Et quos depoſuit Nabathæo bellua ſaltu*
*Jam nimios, capitique graves.* ——

Erant autem formati in ſpecies animalium: itaq; in citatis verbis Satyrici obſervandum eſt.

—— *latos niſi ſuſtinet orbes*
*Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.*

Ipſæ menſæ, è ligno primùm citreo. Vidimus paullò antè, in verbis Ciceronis; & Petronius Arbiter Satyrico. —— *ecce Afris eruta terris*
*Citrea menſa.* ——

Et quidem maximè nodoſo, idq; pretium augebat, quod par aliquando cenſui Senatoris, id eſt, decies ſeſtertio, ſive quinquaginta millibus florenorum. Clarè Seneca, De Benefic. lib. VII. cap. IX. *Video iſtic menſas, & æſtimatum lignum cenſu Senatoris, eò pretioſiùs, quò illud in plures nodos arboris infelicitas torſit.* Tertullianus, De Pallio. *Adigo cauterem ambitioni, quà M. Tullius quingentis millibus non unum orbem citri emit, quà bis tantùm Aſinius Gallus pro menſâ ejuſdem Mauritaniæ numerat. Hem, quantis facultatibus æſtimavere ligneas maculas?* Mox etiam ex auro fecerunt. Ecce apud Martialem lib. III. Epigr. XXXI.

*Et ſervit dominæ numeroſus debitor arcæ,*
*Suſtentatq; tuas aurea menſa dapes.*

Sed pretium tamen citreis majus manebat, ut diſcimus ex eodem, lib. XIV. Epigr. LXXXIX. Deinde etiam ex argento. Alphinus, in l. cùm ex argent. XXVIII. D. de auro, arg. leg. *An & ſi quas menſas argenteas, & ejus generis argentum haberet, quo ipſe non temere uteretur, ſed commodare ad ludos, & cæteras apparationes, ſoleret.* Aſterius Hom. in Avar. Ὁ πένης ἐπὶ ξυλίνης τραπέζης ἄρτον ἀπορεῖ διαθρύψαι· καὶ ὁ τρυφῶν, ἀργυρᾶν τράπεζαν ἐλάσας ἐς πλάτος, τῷ στίλβοντι ψυχαγωγεῖται τῆς ὕλης. Sed ante Heliogabalum nemo: ille enim præivit ad hunc luxum. Lampridius memorat. *Primus menſas, & capſas, argenteas habuit: primus etiam cacabos.* Harum coronæ, ſive ambitus, gemmis ornabantur. Ulpianus, in l. cùm aurum. XIX. D. Tit. citato. *In coronis menſarum gemmæ coronis cedunt, ut hæ menſis.*

## CAPUT X.

*Lecti magni: eorumq́; pedes ex onyche. Ipſi primùm argento inducti, mox ex eo ſolido; & quis auctor. Deinde etiam aurei. Toralia purpurea, odorata, aurea.*

In

IN lectis magnitudo erat ad oſtentationem comparata. Juvenalis, Sat. 11.

*Dives erit, magno quæ dormit tertia lecto.*

Et quidem, pedes ex onyche factos, diſcimus ex Plinio, lib. xxxvii. cap. vii. Ipſi autem argento primùm inducti. Plinius idem, lib. xxxiii. cap. xi. *Lectos verò mulierum jam pridem totos operiri argento, & triclinia quædam, quibus argentum addidiſſe primus traditur Carvilius Pollio, eques Romanus; non ut operiret, aut Deliacâ ſpecie faceret, ſed Punicanâ. Idem & aureos fecit.* Suetonius, in Caligulâ, cap. xxxii. *Servum, ob detractam lectis argenteam laminam, carnifici confeſtim tradidit.* Adde ſphæras, & catenas argenteas, loco funium. Aſterius Hom. in Avar. Ὁ μάτην πλουτῶν, τῷ κόσμῳ τῆς κλίνης περιαστράπτεται, ἀργυρᾶς σφαίρας ἔχουσης, καὶ ἄλυσεις, ἀντὶ τῶν σχοίνων. Mox ex ſolido argento fieri cæperunt. Ulpianus, in citatá l. cùm aurum. *Lectum planè argenteum, vel ſi qua alia ſupellex argentea ſit, argenti appellatione non continetur.* Lampridius, in Heliogabalo. *Solido argento factos habuit lectos & tricliniares & cubiculares.* Etiam aureos fecerunt, ejuſque rei primus auctor Caruilius Pollio, eques Romanus; ille, qui tricli-

niis quoq; primus argentum addidiſſe traditur. Locum Plinij jam citavimus, quo id docemur. Et de Julio narrat Suetonius, cap. XLIX. *In aureo lecto veſte purpureâ decubuiſſe.* Veſtes verò in iis ſtragulæ, pro ratione lectorum, etam pretioſiſsimæ. Et obſerva purpuream in iſtis verbis Suetonij. Quin odoribus quoq; inficiebant. Martialis lib. I. Epigr. XVI.

*Quid thorus à Nilo, quid ſindone tectus olenti?*
*Oſtendit ſtultas quid niſi morbus opes?*

Ac vide, quò poſteâ luxus pervenerit: ex auro habuerunt. Primus Heliogabalus, privatus quidem adhuc; nam jam anteà Imperatores fecerant. Lampridius, in vitâ ejus. *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum Imperatorium publicè vendiderat.*

## CAPUT XI.

*Vehicula ærata, eborata, argentata, argentea. Hæc Severus coërcuit, & Senatoribus tantùm permiſit. Aurata etiam, & altiora. Juncturæ. Vehiculorum pretia, ut & mulorum.*

Vehi-

VEhicula habuerunt varia; nos ſub uno generali nomine comprehendemus. Vide tamen apud Lampridium, in Heliogabalo. *Semiramica facta ſunt Senatusconſulta ridicula, de legibus matronalibus: quæ quo veſtitu incederet, quæ cui cederet, quæ ad cujus oſculum veniret, quæ pilento, quæ equo ſagmario, quæ aſino veheretur: quæ carpento mulari, quæ boum; quæ ſella veheretur, & utrum pelliceâ, an oſſeâ, an eboratâ, an argentatâ.* Erantq; primitùs ærata, mox eborata effecit creſcens luxus. Plautus Aulul. Sc. velim te.

*Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram.*

Deinde argentata habuerunt. Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Nos carrucas ex argento cælare invenimus.* Et tanta quidem horum frequentia, ut coërcere Severus neceſſe putaverit, eorum jure ſolis Senatoribus relicto. Lampridius, in ejus vitâ. *Carrucas Romæ, & rhedas, ſenatoribus omnibus, ut argentatas haberent, permiſit: intereſſe Romanæ dignitatis putans, ut his tantæ Urbis ſenatores vectarentur.* Poſteà argentea quoq; fuerunt; primusq; ea dedit Aurelianus, teſte Vopiſco. Aurata etiam, & gemmata. Lampridius, de Heliogabalo. *Habuit gemmata vehicula, & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis.* De

auratis, capiendus item Martialis, lib. III. Epigr. LXII.

*Aurea quod fundi pretio carruca paratur.*

Et volebant eſſe altiora. Ammianus lib. XXVIII. *Summum decus in carrucis ſolido altioribus, & ambitioſo veſtium cultu ponentes.* Huc accedebant juncturæ pretioſiſsimæ. Capitolinus, in Vero. *Data & vehicula, cum mulabus, ac mulionibus, cum juncturis aureis.* Gaudentius, Tract. XIII. *Brutis quoque animalibus, equis, ac mulis, ex argento, & auro, ſublimia ornamenta componunt.* Videatur Codicis lib. XI. Tit. XI. Quantas igitur hîc impenſas credis? nonne ingentes? de fundi pretio clarè Martialis, loco citato. —— *fundi pretio carruca paratur.*

Jam in ipſis jumentis, quæ trahebant, quem luxum putamus? Juncturæ ſæpe aureæ: & exemplum habemus in Capitolino, quod produximus. Soleæ eorum argenteæ. Suetonius de Nerone, cap. XXX. *Nunquã carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus.* Et aureas fecit ejus conjux Poppea. Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Noſtrâq; ætate Poppea, conjux Neronis principis, delicatioribus jumentis ſuis ſoleas ex auro quoq; induere ſolebat.* Et quis dubitet, quin magna quoque iſtorum pretia luxus fecerit? Certè ſupra equos muli, mu-

Ii, mulæve, valebant. Diſertè Plautus, Aulul. Sc. Narravi.

*Ego faxim muli, pretio qui ſuperant equos,*
*Sint viliores Gallicis cantheriis.*

Quid equos dico? parum hoc eſt: ipſas mox etiam domos ſuperârunt, puta tenuiorum civium. Martialis mihi teſtis eſt, lib. III. Epigr. LXII.

—— *pluris mula eſt, quàm domus, empta tibi.*

At domorum pretia jam videbimus.

## CAPUT XII.

*Ædium admiranda limina, & quis ea primus marmorea habuerit. Poſtes, pavimenta, parietes. Illi quando primùm marmore incruſtati. Laquearia etiam inaurata, & unde origo. Idem factum capitibus columnarum. Earum longitudo, multitudo, pretium: & de eo emendatus Varro. Trabes auratæ. Fontes in ſingulis cubiculis. Univerſim amplitudo, & altitudo: eaque mox coërcita. In faſtigiis*

*horti, & arboraria: ac arbuſculæ ex iis æſtimatæ: item totæ ædes. Valerius, ac Varro, correcti. Neronis Aurea.*

EXaminabimus per partes, atque inde ad totas progrediemur: ubiq; nihil non magnum deprehenſuri. Incipiemus ab ipſo limine, quod marmoreum. Cujus rei initium à M. Lepido, Plinius, lib. XXXVI. cap. VI. *M. Lepidus, Catuli in Conſulatu collega, primus omnium limina ex Numidico marmore poſuit.* Et tales quoq; poſtes, Statius, in Tiburtino Manlij Vopiſci.

> —— *an Mauros undiq; poſtes,*
> *An pictaratâ lucentia marmora venâ*
> *Mirer.* —— ——

Immò deaurati. Hieronymus, in Epiſt. ad Marcellam. *Ut viſitantibus reddamus vices, ad ſuperbas fores pergimus. Inter linguas rodentium miniſtrorum poſtes ingredimur deauratos.* Ingreſsis ſtuporem injiciebant pavimenta, parietes, columnæ, laquearia, trabes. Fabianus Papyrius, apud Senecam Rhetorem, lib. II. Controverſ. I. *In hos igitur exitus varius ille ſecatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat: quam vinctus ſeverè in hoc pavimentum levatum,*

*vatum.* Ipſe Seneca, De Tranquill. cap. I. *Domus etiam quà calcatur pretioſa, & divitiis per omnes angulos diſsipatis.* Statius in Tiburtino Vopiſci.

*Dum vagor aſpectu, vultusq; per omnia duco,*
*Calcabam nec opinus opes: nam ſplendor ab alto*
*Defluus, & nitidum referentes aëra teſtæ,*
*Monſtravere ſolum; varias ubi picta per artes*
*Gaudet humus, ſuperantq; novis Aſarota figuris.*

Parietes, & laquearia, marmore induta. De parietibus, Papirius, loco citato; *Varius ille ſecatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat.* Primus id fecit Mamura, præfectus fabrûm C. Cæſaris. Plinius, libr. xxxvi. cap. vi. *Primum Romæ parietes cruſtâ marmoris operuiſſe totius domus ſuæ in Cælio monte Cornelius Nepos tradidit Mamurram, Formiis natum, equitem Romanum, præfectum fabrorum C. Cæſaris in Galliâ.* Etiam inaurari cæperunt, ut & laquearia: ejuſque rei origo à Capitolio. Plinius, libr. xxxiii. cap. iii. *Laquearia, quæ nunc & in privatis domibus auro teguntur, poſt Carthaginem everſam primò inaurata ſunt in Capitolio, Cenſurà L. Mummij. Inde tranſiere in cameras, in parietes quoque, qui jam & ipſi, tanquam vaſa, inaurantur.* Et huc ſpectat illud Petronij.

*Ædificant auro.* ——

Hiero-

Hieronymus, in Epiſtolâ ad Gaudentium. *Vivimus, quaſi alterâ die morituri; & ædificamus, quaſi ſemper in hoc ſeculo victuri. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum.* Item ad Marcellam. *Ubi ſunt latæ porticus? Ubi aurata laquearia? Ubi inſtar palatij privatorum exſtructæ baſilicæ?* Ad aurum adjunctæ quoque gemmæ. Statius, in Tiburtino.

*Vidi artes, veterumq; manus, variisq; metalla*
*Viva modis, labor eſt auri memorare figuras,*
*Aut ebur, aut dignas digitis contingere gemmas.*

Veſtiebant quoque pretioſiſsimis aulæis, ac tapetibus. Tertullianus, De Hab. Mul. *Parietes Tyriis, & hyacinthinis, & illis regiis velis, quæ vos operosè reſoluta transfiguratis, pro picturâ abutuntur.* Vis columnas ſcire? harum capita aurata, ut ex loco Hieronymi jam vidimus: ipſæ verò marmoreæ. Juvenalis, Sat. VII.

*Parte aliâ longis Numidarum fulta columnis*
*Surgat, & algentem rapiat cœnatio ſolem.*

Et obſerva illic *longas*, nam tales erant profectò. Ammianus, lib. XXVIII. *Columnarum conſtructiones, altâ fronte ſuſpenſas, mirando, atque parietes, lapidum circumſpectis coloribus nitidos, ultra mortali-*

*talitatem nobiles viros extendunt.* Plinius, lib. XXXVI. cap. II. *Tacuerunt maximas earum, (columnarum,) atque duodequadragenûm pedum, Lucullei marmoris, in atrio Scauri collocari.* Habebantque has magno numero. Statius, in Epithalamio Stellæ.

*Pendent innumeris faſtigia nixa columnis.*

Adeoq; nonnulli ad centenas excurrebant. Martialis, lib. v. Epigr. XIII.

*At tua cententis incumbunt tecta columnis,*
*Et libertinas arca flagellat opes.*

In villâ Gordianorum unum periſtylon habuit ducentas. Capitolinus, in Gordiano III. *Domus Gordianorum etiam nunc exſtat, quam iſte Gordianus pulcherrimè exornavit: & villa eorum, viâ Præneſtinâ, ducentas columnas uno periſtylo habens, quarum quinquaginta Caryſteæ, quinquaginta Claudianæ, quinquaginta Synnades, pari menſurâ ſunt.* Libet pretium earum ſcire, id quod magnum, ut omnia in luxu iſto Romano. Docet Val. Maximus lib. IX. cap. I. Illic ſe Craſſus ait decem emiſſe *centum millibus nummûm.* Ergo ſingulas quingentis florenis. Hæc ejus verba ſunt. *Decem columnas centum millibus nummûm emi.* Neque trabes hîc omittendæ, quæ ſæpè auratæ. Statius.

*Auratásne trabes, an Mauros undique poſtes*
*Mirer?* —— ——

Præter hæc omnia, erant, qui in ſingulis cubiculis haberent fontes. Haurio ex iſtis Statij in Tiburtino.

*An picturatâ lucentia marmora venâ*
*Mirer, an emiſſas per cuncta cubilia lymphas?*

Atque iſta quidem, intrinſecus; extrinſecus, duo luxuriabantur: amplitudo, & altitudo. Utraq; ſtupenda. Age, videamus. Occurrunt primò verba Valerij, valdè oportuna, lib.IV.cap.IV. Narrat de L.Quinctio Cincinnato. *Ei, quatuor jugera aranti, non ſolùm dignitas patrisfamiliæ conſtitit, ſed etiam dictatura delata eſt. Anguſtè ſe habitare nunc putat, cujus domus tantùm patet, quantùm Cincinnati rura patuerunt.* Viden? anguſtæ illæ ædes, quæ quatuor jugera caperent. Et fides ne verbis eſt? omninò. nam quis derogет Scriptori tam fido, & probato? Tamen ſtabiliamus, quando hoc nunc agimus. Sub Nerone ſervi quidã ejus piſcinas habuere duobus jugeribus majores; nonnulli etiam culinas. Plinius, ecce, lib. XVIII. cap. II. *Bina tunc jugera Pop. Romano ſatis erant, nulliq́; majorem modum attribuit: quò ſervos paullò ante principis Neronis, contemptis hujus ſpacij viridariis, piſcinas juvat habere majores;*

*jores; gratumque ſi non aliquem & culinas.* Quorundam cellaria etiam longè exceſſerunt. Plinius idem, lib. xxxvi. cap. xv. *Sic non habitârunt illi, qui hoc imperium fecere, tantas ad vincendas gentes, referendosque triumphos, ab aratro, aut foco, exeuntes; quorum agri quoq; minorem modum obtinuere, quàm iſtorum cellaria.* Loquitur illic de Cincinnato, & Fabritio; quorum iſte ſeptem tantùm jugera poſſedit. At ecce, poſteâ cellaria hoc ſpatium ſuperârunt. Æſtima nunc reliquam amplitudinem juſtâ proportione. Certè oportet ad urbes acceſſerit, & quidem magnas. Saluſtius, in Catilinâ, luculentus auctor. *Domos, atq; villas, cognoveris in urbium modum exædificatas.* Aſterius, Hom. in Avar. Οἱ μὲν ὑπ' ὀρόφοις χρυσοπάςοις κατάκεινται, καὶ ὡς μικρὰς πόλεις οἰκῶσι τὰς οἰκίας. *Hi quidem ſub tectis auratis jacent; & domos habitant, parvis urbibus ſimiles.* Immò vincebat. Seneca, de Benefic. lib. vii. cap. x. *Ædificia privata, laxitatem urbium magnarum vincentia!* Salvianus, ad Eccleſ. Cathol. *Superbas, ac præminentes excelſis urbibus, domos.* Et apud Tacitum, Annal. iii. leges, *Villarum infinita ſpatia.* Quod magis mirere: Necdum hæ unæ ſufficiebant, conjungebant binas, ternas, ut laxiùs, magnifi-

centiuſque, habitarent. Sic Catilina, apud Saluſtium, in Oratione ad milites ſuos, exprobat hoſtibus; *Illos binas, aut amplius, domos continuare.* Et capiendus hinc Martialis, lib. IV. Epigr. XL.

*Et docti Senecæ ter numeranda domus.*

Jam altitudinem aſpiciamus, quæ cælo pænè imminebat. Petronius.

*Ædificant auro, ſedesq; ad ſidera mittunt.*

Sed hæc Pöetica ὑπερϐολή, & intrà veri limites maneamus, vel ſic tamen verum non dicere videbimur. Sunt qui templorum altitudinem ſuperaverint, inter quos Cetronius, & Poſides: quorum ille, ædem Herculis, & Fortunæ; hic, Capitolium tranſſcendit. Juvenalis, Sat. XIV.

*Ædificator erat Cetronius, & modò curvo*
*Litore Caietæ, ſummâ nunc Tiberis arce,*
*Nunc Præneſtinis in montibus, alta parabat*
*Culmina villarum, Græcis, longeq; petitis,*
*Marmoribus, vincens Fortunæ, atq; Herculis, ædem;*
*Ut ſpado vincebat Capitolia noſtra Poſides.*

Seneca, Conſolat. ad Helviam, cap. IX. *Hoc cogitandum eſt, iſta bonis viris per falſa, & pravè credita, obſtare: quò longiores porticus expedierint, quò altiùs turres ſuſtulerint, quò depreſſiùs æſtivos ſpecus foderint, quò majori mole faſtigia cænationum ſubduxe-*

*duxerint, hoc plus erit quod illis cœlum abſcondat.* Salvianus ad Eccleſ. Cathol. lib. I. *Non ſuperbas, ac præminentes excelſis urbibus, domos, non ſupra humanos viſus elata culmina, nec inſerta nubibus aërio habitatore faſtigia.* Porrò, quod non minùs mirere; in his ipſis faſtigiis pomaria, ac nemora. Seneca, Epiſt. CXXII. *Non vivunt contra naturam, qui pomariam in ſummis turribus ſerunt; quorum ſilvæ in tectis domorum, ac faſtigiis, nutant; inde ortis radicibus, quò improbè cacumina egiſſent.* Fabianus Papirius, apud Senecam Rhetorem, lib. II. Controverſ. I. *Quin etiam montes, ſilvæque, in domibus marcidis umbrâ, fumoq; viridibus.* Et in his arboribus, ut ſcias, magnus luxus: itaque ſummi eas pretij cenſuerunt. Et una pomus referebat domino *duo millia nummûm* annua, ſive florenos centum. Plinius, libr. XVII. cap. I. *Nec minus miraculum in pomo eſt, multarum circa ſuburbana fructu annuo addicto binis millibus nummûm, majore ſingularum reditu, quàm erat apud antiquos prædiorum.* Atq; hujuſmodi quidem arborum, ut vulgarium, parva adhuc ratio erat; major longè aliarum, quas ad delitias habebant, & oſtentationem. Adeoq; Cn. Domitius L. Craſſo ſolas decem tales æſtimavit *tricies*

*ſeſtertio*, ſive centies & quinquagies millè florenis. Val. Maximus, lib. IX. cap. 1. *Cn. Domitius L. Craſſo collegæ ſuo, altercatione ortâ, objecit, quod columnas Hymettias in porticu domus haberet. Quem continuò Craſſus, quanti ipſe domum ſuam æſtimaret, interrogavit. Atque ut reſpondit ſexagies ſeſtertio: Quanto ergo eam, inquit, minoris fore æſtimas, ſi decem arbuſculas inde ſuccidero? Ipſo tricies ſeſtertio, ait Domitius.* Hui! quis hæc credere auſit? Si ad noſtrum ſeculum æſtimamus, nunquam fidem invenient, ut profectò neque pleraque hæc Romana. Et quæ fuerunt illæ arbores, tam pretioſæ? Plinius narrat, libr. XVII. cap. 1. *Loti patulâ ramorum opacitate laſcivæ.* Sed faſtigia illa, ut eò redeam, nemo fuit qui coërceret? Ita. Auguſtus fecit, & modum præſcripſit pedes ſeptuaginta. Strabo, lib. V. Πρὸς δέ συμπτώσεις τὰ ὕψη τῶν καινῶν οἰκοδομημάτων καθελὼν, καὶ κωλύσας ἐξαίρειν ποδῶν ό τὸ πρὸς ταῖς ὁδοῖς ταῖς δημοσίαις. Et renovaſſe videtur Nero, poſt incendium illud. Tacitus, Annal. XV. *Urbis quæ domus ſupererant, non, ut poſt Gallica incendia, nullâ diſtinctione, nec paſſim erectæ; ſed dimenſis vicorum ordinibus, & latis viarum ſpatiis, cobibitâ ædificiorum altitudine.*

Tra-

Trajanus mox ad LX. reduxit. Aurelius Victor, in Epitome. *Trajanus per exquiſita remedia opitulatus eſt; ſtatuens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumptus, ſi quando talia contingerent, exitioſos.* Sed quod pretium ædium? non credendum facilè. De Clodio narrat Plinius, libr. XXXVI. cap. XV. *P. Clodius, quem Milo occidit, ſeſtertium centies & quadragies octies domo emptâ habitavit:* id eſt, undecies centum & quatuor millibus florenorum. Sed hæc domus ſine dubio arborarium in faſtigio non habebat; nam longè majus tunc pretium fuiſſet, cùm ſolas decem arbuſculas, ut jam vidimus, æſtimârit Domitius tricies ſeſtertio, ſive centum quinquaginta millibus florenorũ. Itaq; neceſſariò mendum eſt in iſtis Valerij verbis, quibus Craſſo interroganti reſpondet Domitius, æſtimare ſe domum *ſeſtertio ſexagies.* Ut quid enim? decem arbuſculæ æſtimabuntur tricies ſeſtertio; & reliquum arborarium omne cum totâ domo tantùm ſexagies? Nulla eſt proportio: nulla ratio. Scribendum; *reſpondit, ſexcenties ſeſtertio.* id eſt, tricies centum millibus florenorum. Firmat conjecturam noſtram Plinius, lib. XVII. cap. I. qui auget etiam, & de ſeſtertio millies narrat.

Hir-

Hirrius ex ædificiis circum piſcinas ſuas capiebat annua *ſeſtertia duodena millia*, ſive florenorum ſexcenta millia. Auctor eſt Varro, De Re Ruſt. libr. III. cap. XVII. Ejuſdem una villa vendita eſt *ſeſtertio quadringenties*, id eſt, vicies centum mille florenis. Hoc idem Varro teſtatur, ſed locus corruptus eſt, & *quadragies* editur. Vide correctionis noſtræ rationem infrà, cap. XIV. Et hæc quidem pretia ſtante adhuc Rep. luxu necdum tam effreni. Cave cenſeas idem ſub Imperatoribus manſiſſe: affirmo tibi, in immenſum creviſſe. Æſtima ab iſto Plinij loco, proximè citato libro. *M. Lepido, Q. Catulo Coſſ.* (id eſt, annis XXIX. ante Julij imperium) *ut conſtat inter diligentiſſimos auctores, domus pulchrior non fuit Romæ, quàm Lepidi ipſius. At herculè intra annos XXXV, eadem centeſimum locum non obtinuit. Computet in hâc æſtimatione, qui volet, marmorum molem, opera pictorum, impendia regalia, & cum pulcherrimâ laudatiſſimâque certantes centum domos, poſteaque eas ab innumerabilibus aliis in hunc diem victas.* Deſinam in duabus ædibus duorum Imperatorum. Ille ipſe Plinius ſubjungit. *Sed eas omnes duæ domus vicerunt. Bis vidimus totam urbem cingi domibus Principum, Caij, & Neronis, &*

*hujus*

*hujus quidem, ne quid deeſſet, Aurea.* Et Auream iſtam ecce deſcribit Suetonius, cap. xxxi. *Domum à Palatio Eſquilias uſque fecit, quàm primò Tranſitoriam, mox incendio abſumptam, reſtitutamque, Auream nominavit. De cujus ſpatio, atq; cultu; ſuffecerit hoc retuliſſe. Veſtibulum ejus fuit, in quo coloſſus centum viginti pedum ſtaret, ipſius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices miliarias haberet: item ſtagnum, maris inſtar, circumſeptum ædificiis, ad urbium ſpeciem. Rura inſuper, arvis, atque vinetis, & paſcuis, ſilvisq; varia: cum multitudine omnis generis pecudum, ac ferarum. In cæteris partibus, cuncta auro lita, diſtincta gemmis, unionumque conchis, erant. Cænationes laqueatæ, tabulis eburneis verſatilibus, ut flores fiſtulis, & unguenta, deſuper ſpargerentur. Præcipua cænationum, rotunda; quæ perpetuò diebus, ac noctibus, vice mundi, circumageretur: balineæ, marinis, & Albulis, fluentes aquis. Ejuſmodi domum cùm abſolutam dedicaret, hactenus comprobavit, ut ſe diceret,* QVASI HOMINEM TANDEM HABITARE COEPISSE. Quis hæc leget, quis audiet ſine ſtupore? Nemo poterit.

## CAPUT XIII.

*Conviviorum apparatus, & in eo oſtentatio. Miniſtrorum multitudo, & ordo. Impenſæ. Cœnæ Aditiales. Ferculorum numerus. Coquorum pretium. Plinius emendatus.*

VEniamus ad Convivia, in quibus ſummopere ſe Luxus exercuit. Struebantur ea magno cum apparatu, & oſtentatione; magno miniſtrantium item numero, qui in ordine omnes, & per certas claſſes diſtincti. Seneca, Epiſt. xcv. *Quàm celebres culinæ ſunt? quanta nepotum focos juventus premit? Tranſeo puerorum infelicium greges, quos, poſt tranſacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exſpectant. Tranſeo agmina exoletorum, per nationes coloresq; deſcripta, ut eadem omnibus levitas ſit, eadem primæ menſura lanuginis, eadem ſpecies capillorum, ne quis, cui rectior eſt coma, criſpulis miſceatur. Tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dij boni! quantum hominum unius venter exercet.* Et ſumptus videamus. De Lucullo auctor eſt Plutarchus, eum, in foro oppreſſum à Cice-

Cicerone, & Pompejo, cænam extemporaneam iis exhibuiſſe, cui impenſæ eſſent quinquaginta mille drachmæ, ſive decem mille floreni. Suetonius de Vitellio memorat, cap. xiii. *Indicebat (convivium) aliud alij eâdem die: nec cuiquam minus ſinguli apparatus quadringenis millibus nummûm conſtiterunt.* Facit hæc ſumma florenorum viginti millia. Adeoque viri frugales ſine reprehenſione cænâ aditiali conſumpſerunt *tricies ſeſtertium*, ſive centum quinquaginta millia florenorum. Seneca auctor eſt, quem nemo refutet, Epiſt. xcv. *Tricies ſeſtertio aditiales cænæ frugaliſſimis viris conſtiterunt.* Verus alterum tantum impendit. Capitolinus. *Omne convivium æſtimatum dicitur ſexagies centenis millibus ſeſtertiorum.* Lampridius de Heliogabalo. *Nunquam minus centies ſeſtertio cænavit. Aliquando autem triginta millibus ſeſtertiis cænavit, omnibus ſupputatis, quæ impendit.* Ita ſanè legi illum locum jubet rei proportio; non *tribus millibus*. Ergo, ô ſtupor! monſtrum illud nunquam minus prodegerit *quinquies centenis millibus florenorum?* aliquando verò etiam *quindecies?* Horror eſt animo frugali. Et tamen fuerunt inter iſtos nequiſsimos Imperatores, quorum unum ferculum *mille*

*ſeſtertiis*, ſive *quinquaginta mille* florenis conſtaret. Latinus in Panegyrico. *Nonne cognovimus cujuſdam retrò principis non prandia ſæpè, ſed fercula, ſeſtertiis mille* (ita rectè corrigunt viri magni) *æſtimata, patrimoniorum equeſtrium pretia traxiſſe?* Nec Principes tantùm, ſed & alij. Juvenalis, Sat. I.

—— *unâ comedunt patrimonia menſâ.*

Fercula autem dabant initio duo tantùm. Servius, ad Æneid. I. *Ut ſuprà diximus, tangit morem Romanum; nam, ut ait Cato, & in atrio, & duobus ferculis, epulabantur antiqui.* Mox ea luxus auxit, uſq; ad ſeptem. Juvenalis, loco citato.

*Quis totidem erexit villas, quis fercula ſeptem*
*Secretò cœnavit avus?* ——

Monſtrum illud Heliogabalus etiam viginti duo habuit. Lampridius. *Exhibuit aliquando & tale convivium, ut haberet viginti duo fercula ingentium epularum.* Pudet citare; & magis reliqua, quæ ſequuntur. Sed quid fercula ſingula dico? Una patina Æſopi Hiſtrionis conſtitit ſeſtertiis ſexcentis, id eſt, triginta millibus florenorum. Plinius, lib. x. cap. LI. *Maximè tamen inſignis eſt in hâc memoriâ Clodij Æſopi Tragici hiſtrionis patina ſexcentis ſeſtertiis*

*tiis taxata.* Iterum, lib. xxxv. cap. xii. *Cùm unam (patinam) Æſopi tragœdiarum hiſtrionis in naturâ avium diceremus ſexcentis ſeſtertiis ſtetiſſe, non dubito indignatos legentes.* Itaque corrigendus eſt Tertullianus De Pallio, ſcribendumque *ſexcentûm millium* non *centum.* Locum ſtatim adſcribemus. Sed quid obſecro in hâc patinâ? Aviculæ cantrices, magno emptæ. Valerius, lib. ix. cap. i. *Conſtat (Æſopum) cantu commendabiles aviculas, immanibus emptas pretiis, in cænâ pro ficedulis ponere ſolitum.* Atque immania hæc pretia ſingularum nummi ſex mille, ſive floreni trecenti. Tertullianus, loco citato. *Quâ Aſinius Celer mulli unius obſonium ſex millibus ſeſtertiûm detulit; quâ Æſopus hiſtrio, ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris, & loquacibus quibuſque, ſexcentûm* (ita corrigendum, jam monui, pro *centum*) *millium patinam confiſcavit.* Plinius, libr. x. cap. li. ſubnectit verbis, quæ citavi. *In quâ poſuit aves cantu aliquo, aut humano ſermone, vocales, millibus ſexcentis ſingulas coemptas.* At Vitellij patina conſtitit decies ſeſtertio, ſive florenorum quinquaginta millibus. Plinius, lib. xxxv. cap. xii. *Vitellius in principatu ſuo decies ſeſtertio condiit patinam.* (ita rectè corrigunt viri illi, quos dixi) *cui*

*facienda fornax in campis ædificata erat.* Et videamus hujus ſumptuoſiſsimæ patinæ condimentum. Accipimus ex Suetonio, in vita ejus, cap. XIII. *In hâc ſcarorum jocinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phænicopterûm, murenarum lactes, à Carpathio uſque fretoque Hiſpaniæ, per navarchos ac triremes petitarum, commiſcuit.* Itaque præ his cænis frugalis eſt illa celeberrima Luculli, de quâ initio dixi. Immò tantum impendit provincialis aliquis, ut ſemel intereſſet cænæ Caligulæ. Narrat Suetonius, cap. XXXIX. *Compererat provincialem locupletem ducenta ſeſtertia numeraſſe vocatoribus, ut per fallaciam convivio interponeretur, nec tulerat moleſtè, tam magno æſtimari honorem cænæ ſuæ.* Jam in conviviorum hoc ſumptu, quanta cenſemus ipſorum coquorum pretia, qui hæc apparabant? Equis comparat, immò ſupra hos etiam ponit, Plinius, lib. XI. cap. XVII. Locus eſt inſignis, ſed cum inſigni mendo, quod tollemus. *Aſinius Celer è Conſularibus hoc piſce* ( loquitur de mullo ) *prodigus, Cajo principe unum mercatus octo millibus nummûm: quæ reputatio aufert tranſverſum animum ad contemplationem eorum, qui, in conqueſtione luxus, coquos emi ſingulos pluris, quàm equos, quiritabant.*

*bant. At nunc coci triumphorum pretiis parantur, & coquorum piſces. Nullusque prope jam mortalis æſtimatur pluris, quàm qui peritiſſimè cenſum domini mergit.* Sed quæ hæc ratio eſt? an coqui, equis prius pares, poſtea ad triumphorum pretia aſcenderint? Apage. Nunquam factum, neq; Plinius ſcripſit. Corrigo. *nunc coci trium horum pretiis parantur.* Querebantur, inquit, olim de luxu; coquos ſingulos emi pretio ſingulorum equorum: at nunc ad trium pretia aſcenderunt. Hæc ſine dubio Plinij mens eſt, & vera lectio.

## CAPUT XIV.

*Deliciæ piſcium, & maximè mullorum, qui à pondere æſtimabantur, quod penſabant in ipſo convivio, adſtantibus excipientibuſque notariis. Ludus item convivarum, in iis occidendis. Pretia eorum. Acipenſer à coronatis inferebatur, cum cantu tibiæ. Oſtrea, & echini: quorum capturam dijudicabant ex ſapore. Oſtrea aperiebant in ipsâ mensâ. Lu-*

*pus*

*pus Tiberinus. Reditus piſcinarum, & impenſæ quoq́; . Villa Hirrij. Varro correctus, & Columella. Nomina piſcibus impoſita, & Inquiſitores iis fugitivis conſtituti.*

AT verò quid in his conviviis, circa quod tanti ſumptus? dicam ſigillatim. Vidimus quædam in patinâ iſtâ Vitellij apud Suetonium. Promiſcuè autem appoſiti piſces cum avibus, & quidem magno numero, ut neceſſe erat in magno convivio. De Vitellij fratre narrat Suetonius. *Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cæna ei data adventitia à fratre; in quà duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium, appoſita traduntur.* C. Cæſar dictator, triumphalem cænam apparaturus, ſex millia murænarum ab Hirrio ad pondus accepit. Auctores Macrobius, Saturnal. lib. II. cap. XI. & Plinius, lib. IX. cap. LV. Sed quid? ad pondus? ita: ab hoc æſtimabantur piſces. Martialis, lib. II. Epigr. XLV.

*Nolo mihi ponas rhombum mullúmve bilibrem.*

Horat. lib. II. Sat. II.

*—— —— laudas inſane trilibrem*
*Mullum, in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.*

Juve-

Juvenalis, Sat. iv.

—— *mullum ſex millibus emit,*
*Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.*

Adeoque in ipſis conviviis ponderabant, adſtantibus notariis multis, qui ponderis ſcilicet miraculum in pugillares referrent. Ammianus, lib. xxviii. *Poſcuntur etiam in conviviis aliquoties trutinæ, ut adpoſiti piſces, & volucres, ponderentur, & glires. Quorum magnitudo ſæpius delicata, non ſine tædio præſentium, ut antehac inuſitata, laudatur aſſiduè. Maximè, cùm hæc eadem numerantes notarij, prope triginta, adſiſtant, cum thecis, & pugillaribus.* Quando autem in mulli mentionem indicimus, producamus de eo ſermonem. Magnæ, immò maximæ, deliciæ in hoc piſce. Piget meis verbis rem referre, utar Senecæ, quæ exſtant Nat. Quæſt. lib. iii. cap. xvii. *Quantò incredibiliora ſunt opera luxuriæ, quoties naturam aut mentitur, aut vincit. In cubili natant piſces, & ſub ipsâ mensâ capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſervatur morientium color, quem in multas mutationes mors, luctante ſpiritu, vertit. Alios necant in garo, & condiunt vivos. Et ſunt, qui fabulas putant, piſcem vivere poſſe ſub terrâ, & effodi,*

*fodi, non capi. Quam incredibile illis videretur, ſi audirent, natare in garo piſcem: & cœnæ causâ occiſum eſſe ſuper cœnam, cùm multùm in deliciis fuit, & oculos antè, quam gulam, pavit. Permitte mihi, quæſtione ſepoſitâ, caſtigare luxuriam. Nihil eſt, inquis, mullo exſpirante formoſius. Illâ colluctatione animam agenti rubor primùm, deinde pallor ſuffunditur: quàm æquè variatur, & incerta facies inter vitam & mortem coloris eſt. Vacatio longa ſomniculoſæ inertisque luxuriæ. Quàm ſerò experrecta circumſcribi ſe, & frudari tanto bono, ſenſit. Hoc adhuc tanto ſpectaculo, & tam pulchro, piſcatores fruebantur, qui coctum piſcem in ipſo ferculo etiam experirentur. Mirabuntur tantum in illis eſſe faſtidium, ut nollent attingere, niſi eodem die captũ piſcem; qui, ut ajunt, ſaperet ipſum mare. Ideò curſu advehebatur, ideò gerulis, cum anhelitu, & clamore, properantibus, dabatur via. Quò pervenére deliciæ? Is pro putrido jam piſcis adfertur, qui non hodiè eductus, hodiè occiſus eſt. Neſcio de re magnâ tibi credere. Ipſe oportet mihi credam. Huc afferatur, coram me animam agat. Ad hunc faſtum pervenit venter delicatorum, ut guſtare non poſſint piſcem, niſi, quem in ipſo convivio natantem, palpitantemque,*

*que, viderint.* Brevius Plinius lib. IX. cap. XVII. *Mullum exſpirantem verſicolori quâdam, & numeroſâ, varietate ſpectari, proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem, utiq; ſi vitro ſpectetur incluſus.* Quæ, malum, hæ deliciæ? vix credamus, niſi ab iis Auctoribus haberemus, quibus fidem hîc negare ſit piaculum. Et petebant à longinquis regionibus. Juvenalis, Sat. V.

*Mullus erit domini, quem miſit Corſica, vel quem*
*Tauromenitanæ rupes; quando omne peractum eſt,*
*Et jam defecit noſtrum mare.* ——

De murænâ ille ipſe ibidem.

*Virroni muræna datur, quæ maxima venit*
*Gurgite de Siculo.* ——

De ſcaro Petronius.

*Ingenioſa gula eſt, Siculo ſcarus æquore merſus*
*Ad menſam vivus perducitur.* ——

Sed adhuc mihi in animo mullus eſt, cujus nondum pretium dixi, quod planè magnum. Quippe Octavius emit *quinq; millibus ſeſtertiûm,* ſive ducentis quinquaginta florenis. Seneca narrat, epiſtolâ XCV. Alius quis *ſex millibus,* ſive florenis trecentis. Juvenalis, Sat. IV.

*—— mullum ſex millibus emit,*
*Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.*

Aſinius Celer *ſeptem millibus*, id eſt, trecentis quinquaginta florenis. Macrobius, Sat. libr. II. cap. XII. *Aſinius Celer, vir conſularis, ut idem Sammonicus refert, mullum unum ſeptem millibus nummûm mercatus eſt.* Sed Tertullianus, De Pallio, ſex tantum millia narrat. *Aſinius Celer mulli unius obſonium VI. HS detulit.* Plinius octo, lib. IX. cap. XVII. *Aſinius Celer hoc piſce prodigus, Cajo principe, unum mercatus octo millibus nummûm.* Fuerunt qui emerent *decem millibus*, ſive, *florenis quingentis.* Suetonius in Tiberio, cap. XXXIV. *Corinthiorum vaſorum pretia in immenſum exarſiſſe, treſq; mullos triginta millibus nummûm veniſſe, graviter conqueſtus, &c.* Immane eſt, quod narrat Varro, De Re. Ruſt. libr. III. cap. XVII. *Celerius voluntate Hortenſij ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quàm è piſcinâ barbatum mullum.* At ſcis mularum pretium? ſuprà expoſui, extremo cap. XI. Compara jam cum his mullum, æſtimatione illâ Hortenſianâ. Quid acipenſer? nonne tanti eum fieri deliciæ juſſerunt, ut in menſam inferrent coronati, cum cantu tibiæ? factitatum id, Severi temporibus,

ribus, ut teſtimonium perhibet Sammonicus, ejus ævi ſcriptor. Jam murænarum pretium hæc res oſtendit, quod L. Craſſus, vir Cenſorius, murænam in piſcinâ domus ſuæ mortuam atratus luxerit. Hæc nota ſunt, neque teſtimoniis opus habent. Quid echinos, quid oſtrea commemorabo? Hæc dilicatuli iſti primo morſu deprehendebant, ubi capta eſſent; illos ex adſpectu judicabant. Juvenalis, Sat. IV.

*—— —— Circeis nata forent, an*
*Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,*
*Oſtrea, callebat primo deprendere morſu:*
*Et ſemel adſpecti litus dicebat echini.*

Et oſtrea quidem, maximè amabant grandia. Juvenalis, Sat. VI.

*Grandia quæ mediis jam noctibus oſtrea mordet.*

Eaq; Lucrina. Petronius, Satyrico.

*—— —— inde Lucrinis*
*Eruta littoribus vendunt conchylia cænas.*

Martialis, lib. III. Epigr. LX.

*Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino.*

Atque aperiebant in ipsâ mensâ. Diſcimus ex Senecâ, epiſtolâ LXXXVIII. *O infelicem ægrum! quare? quia non oſtrea illi Lucrina in ipsâ mensâ aperiuntur*; Primus his primas tribuit Sergius Orata. Macrobius, Sat. lib. II. cap. XI. *Sergius Orata, qui primus*

*balneas penſiles habuit, primus oſtrearia in Bajano locavit, primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit.* Habebat etiam Tiberis, quo ſe commendabat luxurioſis, lupum, eumq́; inter duos pontes captum. Titius, in Orat. quâ legem Fanniam ſuaſit. *Edimus turdum pinguem, bonumq́; piſcem lupum germanum, qui inter duos pontes captus fuit.* Et Lucilius.

*Illum ſumina ducebant, atq́; altilium lanx:*
*Hunc pontes Tiberinos duo inter captus catillo.*

Dignoſcebant quoq́; ex ſapore, quod de oſtreis jam narravi. Obſerves ex Horatio, lib. II. Sat. II.

*Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto*
*Captus hiet: pontesne inter jactatus, an amnis*
*Oſtia ſub Tuſci?* ——

At in pretio hoc piſcium, quàm magni reditus annui dominis? Sanè immenſi. Facilè putari ratio poteſt. Unum mullum vendebant eo pretio, quo dixi. Non credimus quidem omnes tam carè emptos, apage: tamen centum paſsim, & præter propter, Carolinis venierunt. Atque horum aliquot millia alebant in piſcinis. Adde tot murænas, tot ſcaros, & cæteri generis; quorum etſi pretia non tam magna, quàm mullorum, tamen etiam ſatis magna. An non

non immenſas igitur opes acceperunt iſti piſcinarij? Nemo dubitabit, milliones ſæpe aliquot exceſsiſſe. Et hâc de cauſsâ caræ piſcinæ, & propter eas villæ. Adeoque Hirrius ſuam vendidit *quadringenties ſeſtertio*, id eſt, vicies centum mille florenis. Narrat de eo Varro, libr. III. cap. XVII. *Memini hunc Cæſari duo* (Plinius, & Macrobius, *ſex:*) *millia murænarum mutua dediſſe in pondus, & propter piſcium multitudinem quadringenties ſeſtertio villam veniſſe.* Hodiè editur, *quadragies ſeſtertio:* at corrigendum eſſe ſupra monui. Et exiguum hoc eſt. Superavit Lucullus, cujus ſola piſcina tanti vendita. Idem Varro, libro citato, cap. II. *M. Cato nuper, cum Luculli accepit tutelam, è piſcinis ejus quadraginta millibus ſeſtertiis vendidit piſces.* Columella etiam amplius tradidit, lib. VIII. cap. XVI. *Attamen iiſdem temporibus, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maximè laudabatur ſeveritas Catonis, qui nihilominus & ipſe, tutor Luculli, grandi ære ſeſtertiûm quadringentorum millium piſcinas pupilli ſui venditabat.* Sed exorbitavit librarius: reſcribe, *ſeſtertiûm quadraginta millium.* Et habebant eas plures conjunctas. Varro. *Quis noſtrûm non unâ contentus eſt hâc piſcinâ? Quis contra maritimas non*

*ex piſcinis ſingulis plures conjunctas habet?* Ut verò reditus magni, ita etiam impenſæ. Varro ait, *Ædificantur magno, implentur magno, aluntur magno.* Atq; ad poſtremum quod attinet; ille ipſe Hirrius, de quo jam dixi, conſumebat quotannis *ſeſtertia duodena millia,* ſive florenos ſexcenties mille. Varro loco citato. *Hirrius circùm piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia ſextertia capiebat. Eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat.* Atque hactenus ſumptuoſæ deliciæ: dabimus jam ridiculas etiam. Nomina piſcibus nonnulli imponebant. Plinius, lib. x. cap. LXX. *Spectatur & in piſcinis Cæſaris, genera piſcium ad nomen venire, quoſdamq; ſingulos.* Martialis, lib. IV. Epigr. XXX.

*Sacris piſcibus hæ natantur undæ,*
*Qui nôrunt dominum, manumq; lambunt*
*Illam, quâ nihil eſt in orbe majus.*
*Quid quod nomen habent, & ad magiſtri*
*Vocem quiſque ſui venit citatus.*

Item lib. x. Epigr. xxx.

*Piſcina rhombum paſcit, & lupos vernas,*
*Natat ad magiſtrum delicata muræna,*
*Nomenculator mugilem citat notum,*
*Et adeſſe juſsi prodeunt ſenes mulli.*

Item conſtituti Inquiſitores fugitivorum, Juvenalis, Sat. IV. clarè indicat,

Deſti-

*Deſtinat hoc monſtrum cymbæ liniq; magiſter*
*Pontifici ſummo. quis enim proponere talem,*
*Aut emere, auderet: cùm plena & littora multo*
*Delatore forent: diſperſi protinùs algæ*
*Inquiſitores agerent cum remige nudo,*
*Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,*
*Depaſtumq; diu vivaria Cæſaris: inde*
*Elapſum, veterem ad dominum debere reverti.*

## CAPUT XV.

*Selectæ avium partes ad delicias. Turdorum prima gloria. Eorum pretium, ut & pavonum, & columbarum. Aviariorum magnitudo. Etiam aucupum, & venatorum, in provinciis cohortes.*

HActenus de piſcibus: atqui & aves in deliciis, & ex iis ſelectæ quædam partes. Videamus. Suetonius, cap. VIII. narrat in patinâ Vitellij fuiſſe, *phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterûm.* De phœnicopteris, teſtis etiam Martialis, lib. XIII. Epigr. LXXI.

*Dat mihi penna rubens nomen, ſed linguaguloſis*
*Noſtra ſapit, quid ſi garrula lingua foret?*

Primas tenebant turdi. Horatius, lib. I. Epiſt. XVI.

*Nil melius turdo.* ——

Martialis, libro citato, Epigr. XCII.

*Inter aves, turdus; ſi quid me judice certum eſt:*
*Inter quadrupedes, mattea prima lepus.*

Itaq; alebant hos magno numero, & vendebant pretio ſatis magno. Utrunque accipe ex loco Varronis, De Re Ruſt. lib. III. cap. II. *In hac villâ qui eſt ornithon, ex eo uno quinque millia ſcio venîſſe turdorum denariis ternis, ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ.* Reddiderint ergo quinque mille turdi *tria millia florenorum.* Major reditus Aufidio Lurconi ex pavonibus. Varro, libro citato, cap. VI. *De pavonibus noſtrâ memoriâ greges haberi cœpti, & venire magno. Ex iis M. Aufidius ſupra ſexagena millia nummûm in anno dicitur capere.* Et venibant ſinguli *quinquaginta denariis*, ſive decem florenis; ova eorum *quinque*, ſive floreno uno. Primus poſuit Hortenſius, augurali aditiali cœnâ. Varro. *Primus hos Q. Hortenſius augurali aditiali cœnâ poſuiſſe dicitur. quod protinus factum tam luxurioſi, quàm ſeveri boni viri, laudabant. Quem citò ſecuti multi extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis, ipſi facilè quinquagenis.*

Ter-

Tertullianus, De Pallio. *Præcidam gulam, quâ Hortenſius Orator primus pavum, cibi cauſsâ, potuit occidere.* Sequuntur columbæ; quarum paria vulgò vendebant *ducenis nummis*, id eſt, decem florenis; & eximia ſi quæ eſſent, *ſingulis millibus*, id eſt, quinquaginta. Adeoque L. Axius noluit minoris *quadringentis denariis*, id eſt, florenis octoginta. Varro ibidem, cap. VII. *Paria ſingula (columbarum) vulgò veneunt ducenis nummis, nec non eximia ſingulis millibus nummûm; quas nuper cùm mercator tanti emere vellet à L. Axio, equite Romano, minoris quadringentis denariis daturum negavit.* Et hæc quidem ſeveriore adhuc ætate Varronis. Poſteà autem *quatuor millibus nummûm*, id eſt, ducentis florenis, neque vendere, neque emere puduit. Columella, lib. VIII. cap. VIII. *Pretiis eorum domini complent arcam, ſicut eximius auctor M. Varro nobis affirmat; qui prodidit, etiam illis ſeverioribus ſuis temporibus paria ſingula (columbarum) millibus ſingulis ſeſtertiorum ſolita venire. Nam noſtri pudet ſeculi, ſi credere volumus inveniri, qui quaternis millibus nummûm binas aves mercantur.* Sed in tanto luxu, tantum conſumente, quomodò aves ſuffecerunt? Alebant eas maximo numero, adeoque aviaria ha-

buerunt majora, quàm olim villas. Varro clarè, De Re Ruſt. lib. III. cap. III. *Nunc aviaria ſunt, nomine mutato, quòd vocantur ornithones, quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quàm tum habebant totas villas, in quibus ſtabulentur turdi, ac pavones.* Verùm neque hæc ſufficiebant, itaque & ab exteris petere neceſſe fuit; apud quos aucupum, & venatorum, totæ cohortes. Latinus Pacatus, in Panegyrico. *Ut taceam, infami ſæpè delectu ſcriptos in provinciis aucupes, ductasq; ſub ſignis venatorum cohortes, militaſſe conviviis.*

## CAPUT XVI.

*Sumptus funebres. Munera gladiatoria; & ſervorum manumiſſio: pretiumq; eorum item inquiſitum. Lex Fuſia Caninia, quæ poſteà ſublata. C. Curionis theatrum ingenioſum. Claudij Iſidori teſtamentum. Anterotis legatum, ad epulum annuum. Suetonius emendatus. Lex Syllæ, mox ab ipſo violata. C. Figuli ſepulcrum.*

Hacte-

HActenus vivorum luxum: nunc & mortuorum nobis proponamus. Dixi pridem, libro proprio De Funere: ſed non præter rem facturum me putavi, ſi in fine quoque hujus Operis repræſentarem. Ac antiqua quidem Roma, non tantopere modum exceſsit. De Menenio Agrippá tradit Valerius Maximus, lib. IV. cap. IV. *Niſi à populo, collatis in capita ſextantibus, funeratus eſſet, ita pecuniæ inops deceſsit, ut ſepulturæ honore caruiſſet.* Incertum, quot illo ævo capita in populo; ſed, non injuſtâ temporum ſubſequutorum ratione animadversá, detractis, quæ per ea fieri potuerunt, incrementis, & conſideratis illis, quos continua bella hauſerunt, centum millia fuiſſe, aut præterpropter, non injuriâ ſtatuemus: idq; cum ſuffragio eorum, qui Romanæ rei periti. Contulerit ergo hæc multitudo in ſextantibus circiter ſexcentos florenos. Eâdem ferè tempeſtate, id eſt, decennio ante, deceſsit etiam in ingenti paupertate Valerius Publicola: Populuſque eum publico funere efferendum eſſe ſtatuit, collato à ſingulis quadrante. Plutarchus, in ejus vitâ. Ὁ δὲ δῆμος, ὥσπερ οὐδὲν εἰς ζῶντα τῶν ἀξίων πεποιηκὼς, ἀλλὰ πᾶσαν ὀφείλων χάριν, ἐψηφίσατο δημοσίᾳ ταφῆναι τὸ σῶμα, καὶ τεταρτη-

*μόριον ἕκαστος ἐπὶ τιμῇ συνεισήνεγκεν. Populus verò, tanquam vivo nihil eorum, quæ meritus fuerat, perſolviſſet, ſed omnem adhuc deberet gratiam, decrevit, ut publico funere efferretur, quadrantem ſingulis conferentibus.* Ecce autem, quadrantem unuſquiſq; tribuit; id eſt, circiter octingentos quinquaginta Carolinos univerſi. Tantum impendit paupertina illa Roma, et, in ferreâ ætate, planè aurea. At deinde, ut imperium Urbis crevit, ita civium quoque opes, & cum iis item luxus: adeoque in Syllæ rogum feretra aromatum ducenta decem ſunt injecta. tum ipſius quoque ſtatua, & lictoris, ambæ juſtâ magnitudine, ex thure, & cinnamomo. Vide Plutarchum, qui in vitâ ejus dicit. Statius, De Priſcillæ funere, Sylv. lib. v. Carm. 1.

*——— ——— quis carmine digno*
*Exequias, aut dona malæ feralia pompæ,*
*Perlegat? omne illic ſtipatum examine longo*
*Ver Arabum Cilicumq; fluit, floresq; Sabæi,*
*Indorumq; arſura ſeges, præreptaq; templis*
*Thura, Palæſtini ſimul Hebræiq; liquores,*
*Coryciæq; comæ, Cynarcia germina; & altis*
*Ipſa thoris Serum Tyrioq; umbrata recumbit*
*Tegmine. ———*

Nero, in funere Poppeæ, plus cinamomi, & caſiæ, com-

combuſsit, quàm toto anno Arabia univerſa ferret. Plinius, libr. XII. cap. XVIII. *Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita, adhibens urendis defunctis. Periti rerum aſſeverant, non ferre tantum annuo fœtu, quantum Nero princeps noviſsimo Poppeæ ſuæ die concremaverit.* Quantum igitur impendium in aromatibus ſolis fuiſſe cenſes? Audi Plinium computantem, eodem loco. *Æſtimentur ſingulis annis tot funera, aceruatimque congeſta honori cadaverum, quæ diis per ſingulas micas dantur. Minimâ computatione millies centum millia ſeſtertiûm annis omnibus India, & Seres, peninſulaq; illa, imperio noſtro adimunt. Tanti nobis deliciæ, & fæminæ, conſtant.* Ecce, facit illa ſumma milliones quinque. At fæminas quoque in partem trahit: & ſcimus, magnum quoque illarum luxum fuiſſe. Sed tamen vix tertiam partem vindicare ſibi poterunt. Jam quanti ſumptus cenſes ipſam rogi ſtruem, tantum pretioſiſsimarum veſtium, tantum auri, argentique, tantum gemmarum, quæ in rogum injiciebantur? quanti epulum, populo datum? ludos funebres, munera gladiatoria, magnas moles ſepulcrorum? anne excedere multa millia florenorum? immò ſæpe ali-

pe aliquot centena millia? immò etiam milliones? Examinemus,quæſo, in parte: et, proportione juſtâ, totum inde æſtimemus. Servorum gladiatorum multi centum paria dabant. Perſius, Sat. VI.

*—— —— at tu, meus hæres,*
*Quiſquis es à turbâ paullùm ſeductior, audi:*
*Diis igitur, genioq; ducis, centum paria, ob res*
*Egregiè geſtas. ——*

Et Horatius.

*—— gladiatorum dare centum*
*Damnati paria. ——*

Adde jam centenos multos, etiam in pompam ſæpe manumiſſos. quâ in re tam prodigi erant, ut lex Fuſia Caninia ire obviam debuerit, quæ excedere centenarium numerum prohiberet. Teſtis Cajus, Inſtitut. cap. III. & Julius Paulus, Recept. Sentent. lib. IV. cap. XIV. Et obtinuit ad Juſtiniani tempora: à quo rurſum, velut invida libertati, abrogata eſt. Nunc à pretio ſervorum rationem ineamus: quod cujuſmodi exſtiterit, oſtendemus. Plutarchus de Catone majore, in vitâ ejus tradit: Οὐδένα δὲ πώποτε πρίαϛαι δοῦλον ὑπὲρ τὰς χιλίας δραχμὰς, καὶ πεντακοσίας. *Nullum verò ſervum pluris unquam emiſſe, quàm mille & quingentis drachmis.* Mille autem quingentæ drachmæ, valent ſex millia nummûm.

mûm. Columella, de ſervo vinitore, lib. III. cap. III. *Vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium comparari poſſe putat; ſed ego, plurimorum opinioni diſſentiens, pretioſum vinitorem inprimis cenſeo: iſque licet ſit emptus, vel potiùs ſeſtertiis octo millibus.* Plinius, lib. x. cap. XXIX. *Servorum illis pretia ſunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur. Scio ſeſtertiis ſex, candidam alioquin, quod eſt prope inuſitatum, væniſſe, quæ Agrippinæ, Claudij principis conjugi, dono daretur.* Et Juvenalis, de mullo, ſex millibus empto, Sat. IV.

*—— potuit fortaſſe minoris*
*Piſcator, quàm piſcis, emi. ——*

Scio etiam majori pretio aliquando venditos: nam Calviſius Sabinus centenis millibus nummûm emit, apud Senecam, Epiſt. XXVII. Et Martialis, lib. XI. epigramm. LXXI. exprobat Tuccæ:

*Vendere, Tucca, potes centenis millibus emptos.*

Alij, etiam longè pluris: apud Plinium, lib. VII. cap. XXXIX. Sed Catonem nunc ſequamur, rerum optimum cenſorem; & ſex millibus nummorum ſervos ſingulos æſtimemus: ergo impenderint in ducentis ſexaginta mille florenos. Atque hæc non referebant illi quidem in rationes, ſic magnificentiam exequia-

rum fieri illuſtriorem ſine aliquo ſuo ſumptu exiſtimantes: cùm plerunque non emptitios, verùm vernas, atque domi ſuæ natos, ſive etiam ex hereditate, haberent. Illud tantùm numerabant, quod expendere opus foret. Quin interdum, ut majores ſumptus fierent, munera exhibituri, ſive ludos, argenteo nonnulli arenæ apparatu, & argenteis quoq; haſtis, utebantur. Primus illud fecit Julius: & ab illo deinde alij. Plinius, lib. XXXIII. cap. III. *Cæſar, qui poſteà dictator fuit, primus in ædilitate, munere patris funebri, omni apparatu arenæ argenteo uſus eſt: ferasq́; argenteis haſtis inceſſere, tum primùm viſum.* Quidam etiam, non contenti publicis theatris, tempora exſtruebant, iterum mox deſtruenda. Plinius de Curione quodam ingerit, lib. XXXVI. cap. XV. *C. Curio, qui bello civili in Cæſarianis partibus obiit, funebri patris munere, cùm opibus, apparatuque, non poſſet ſuperare Scaurum, (unde enim illi vitricus Sylla, & Metella mater, proſcriptionum ſectrix?) cùm jam ne ipſe quidem Scaurus comparari ſibi poſſet, quando hoc certè incendij illius præmium habuit, convectis ex orbe terrarum rebus, ut nemo poſteà par eſſet inſaniæ illi. Ingenio ergo utendum fuit: operæ pretium eſt ſcire, quid invenerit: & gaudere*

*dere moribus noſtris, ac noſtro modo nos vocare majores. Theatra duo juxta fecit, ex ligno cardinum duorum verſatili ſuſpenſa libramento: in quibus utriſque antemeridiano ludorum ſpectaculo edito, inter ſeſe averſis, ne invicem obſtreperent ſcenæ; et, repentè circumactis, ut contrà ſtarent; poſtremo jam die diſcedentibus tabulis, & cornibus inter ſe coeuntibus, faciebat amphitheatrum, & gladiatorum ſpectacula edebat.* Admirandum opus, & magnæ impenſæ: quanti æſtimas reliquum funus? Idem Plinius, lib. xxxiii. cap. x. tradit, ſub Auguſto, Conſulibus, Lucio Aſinio Gallo, & Cajo Marcio Cenſorino, quendam Cajum Cæcilium Claudium Iſidorum juſsiſſe ſe funerari undecim millibus ſeſtertiûm: id eſt, quingentis quinquaginta millibus florenorum. Accipe verba. *C. Aſinio Gallo, C. Marcio Cenſorino, Conſulibus, ad vi. Kal. Februarias, C. Cæcilius Claudius Iſidorus funerari ſe juſsit ſeſtertiis undecim millibus.* Obſtupeſco, & indignor. Ergo olim civi, & quandoque homini è plebe etiam, funus factum, quale hodie nulli regum, principumve? Accipe aliud, quod & magis admireris. Q. Minutius Anteros, homo libertus, verùm ſevir Auguſtalis, præter ſumptus funerales, legavit ſeviris colle-

gis decem millia ſeſtertiûm; id eſt, quingenta millia florenorum: è quorum reditu quotannis, natali ſuo, epulum agerent. Id oſtendit Lapis Vetus.

Q. MINUCIUS. Q. L. ANTEROS. VI. VIR. AUGUSTAL. HIC. SEVIRIS. AUGUSTAL. ALETRINAT. LEGAVIT. HS. ccIↄↄ. QVOIUS. EX. REDITU QVOD. ANNIS. NATALI. SUO. VI. ID. FEB. VESCERENTUR.

Jam hos reditus computemus, ſemiunciario fænere: erunt amplius viginti mille floreni. Sed ad ipſos Imperatores veniamus. Quantæ hîc impenſæ erunt? Suetonius, De Veſpaſiano, cap. xix. *Interrogatis palàm procuratoribus, quanti funus, & pompa, conſtaret, ut audiit, ſeſtertium C; exclamavit, Centum ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel in Tiberim projicerent.* Sed non poteſt, quin ſit mendum. Quid enim? Homo aliquis plebejus, ut ex Plinio jam retuli, quingenta ſibi, & quinquaginta, deſtinavit. Reſcribendum itaque puto: *ſeſtertiûm* ∞. id eſt, millies. Ac, me rectè emendaſſe, ipſe adeò Suetonius fidem faciet: qui & de Nerone narrat, cap. L. *Funeratus eſt impenſa ducentorum millium.* id eſt, decem millio-

lionum. Et omnino hæc eſt juſtior proportio. Sed abominor luxum veſtrum hunc, Romani; qui ingentes adeò opes etiam mortui prodegiſtis, ad opprobrium Naturæ tanto gravius. Nec hæredum tamen ſemper hæc ambitio, ſed ipſorum aliquando morientium, qui jubebant teſtamento. Seneca, De Brevitate Vitæ, cap. xx. *Quidam diſponunt etiam illa, quæ ultrà vitam ſunt; moles magnas ſepulcrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exequias.* Et exempla jam produxi, Iſidori, & Anterotis. Ac centuriæ optio quidam, ſepulcro ſuo faciendo, ſeſtertiûm bis mille legavit. Lapis vetus, ecce, teſtimonium perhibet.

OPTIO. IN
CENTURIA. HOC. FIERI. JUSSIT.
HONORIS. PIETATISQVE. CAUSA. SIBI. C. LUCILIO SECUNDO.
PATRI. ET. LUCILIÆ. SUÆ. AVIÆ.
EX. HS. ∞ ∞. PRÆLEGATIS.

Sed, an nemo eſt conatus coërcere? Perdifficile illud eâ tempeſtate, quâ Luxuriæ quaſi ergaſtulum Roma univerſa erat. Fecit tamen, ante Imperato-

rum tempora, L. Sulla: & legem tulit, ſed quam ipſe, in Metellæ uxoris funere, eſt tranſgreſſus. Plutarchus, in vitâ ejus. Τὸν δὲ τῆς ταφῆς ὁρίζοντα τὴν δαπάνην νόμον, αὐτὸς παρεισενηνοχὼς, παρέβαινε, μηδενὸς ἀναλώματος φησάμενος. *Legem verò, quam de ſumptu funerali ipſe tulerat, eſt tranſgreſſus, nullis impenſis parcens.* At lex iſta qualis fuit? Vellem ejus non tam obiter meminiſſet, neq; nunc ignoraremus. Unum ſcimus; pœnam tranſgreſſori dictam, ut tantundem populo daret, quantum monumento ſuo, ſupra quàm lex concedebat, impendiſſet. Accipio ex Cicerone, ad Atticum, libr. XII. epiſt. XXXV. *Nunquam mihi venit in mentem, quum plus inſumptum in monumentum eſſet, quàm neſcio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum eſſe.* Habes tibi Luxum Romanorum, Lector; pariter in vitâ, & morte, uſitatum. Damno, damno: & in hâc ſententiâ finio.

# FINIS.

# IOANNIS MEVRSI
*Ad Librum*
DE
# LUXU RO-
# MANORUM
MANTISA.

# IOANNIS MEVRSI MANTISA.

## CAPUT I.

Portiſculus. Laborum. Domatis. Matricularius. Flaminium. *Aldhelmus univerſim emendatus.*

ELEGANS ſanè Scriptor eſt Aldhelmus, *De Laudibus virginitatis*, & dignus clariore luce. Nunc, quaſi in latibulum aliquod compactus, à paucis legitur. Stilus, etſi non valdè ornatus, amænus tamen eſt; & capit Lectorem eruditum, ob inſertas melioris literaturæ non paucas. De me equidem profiteor, ſupra modum delectatum fuiſſe ſtilo, in iſtâ temporum inamænitate tam grato; & tam docto in iſtâ barbarie. Inter legendum autem correxi obiter hæc, quæ repræſento. Editione uſus ſum eâ, quæ exſtat in Bibliothecâ S S. Patrum, Tom. VIII. à quâ aliam non vidi. Primùm itaque occurrit pag.

463. *Per vitreos Oceani gurgites agens Liburnicam, aut lintrem, inſtanter hortante proretâ, & crepitante nauclero porticulo, ſpumoſis algoſisq; tractibus trudit.* Scribo. *n. portiſculo.* Res eſt protrita. Vide Nonium, pag. 466. *Extorris in Patmo relegatus ſepties vicena & quaterna virginum dulciſonis melodiæ concentibus canticum rude canentia, raptus in oramate extus eos auſcultare, & caſtis obtutibus contemplari meruit.* Profectò valdè corruptus hic locus eſt. Reſtituo. *v. centies quadragena & quaterna virginum M. dulciſonis m. c. c. r. c. r. i. o. extaſeos auſcultare.* Turbatus erat hîc numerus, & M. millenarij nota exciderat, abſorpta à fine vocis præcedentis. Audax correctio, ſed tamen vera. Fundus ei, & firmamentum, ex Apocalypſeos cap. xiv. καὶ ᾄδουσιν ὡς ᾠδὴν καινὴν ἐνώπιον τοῦ θρόνου, καὶ ἐνώπιον τῶν τεσσάρων ζώων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων. καὶ οὐδεὶς ἐδύνατο μαθεῖν τὴν ᾠδὴν εἰ μὴ αἱ ἑκατὸν τεσσαράκοντα τέσσαρες χιλιάδες, οἱ ἠγορασμένοι ἀπὸ τῆς γῆς. οὗτοι εἰσὶν οἱ μετὰ γυναικῶν οὐκ ἐμολύνθησαν. παρθένοι γάρ εἰσιν. Pag. 476. *Laudandæ virginitatis ſublimitas, quaſi præcelſa variis in edito rupis promontorio poſita, ſplendeſcit.* Reſcribo, *præcelſa pharus.* Ibidem. *Contempta mun-*

*ta mundi blandimenta, velut quiſquiliarum peripſomata ſpuens.* Literam muta, & ſcribe, *peripſemata.* Sed hoc leve eſt. Pag. 469. *Quot ſceleratorum ſatellites ad impugnandam noſtrorum aciem conſpicati, & fidei propugnacula ſubruenda, manipulatim conglomerentur.* Scribo, *a. i. n. aciem conſpirati.* Ibidem. *Quomodo ejuſdem nefandæ militiæ tam colones &* dicentes *cum lixarum catibus ad inferiora pertinentes, quàm ſatrapæ, & proceres, &c.* Corrigo, *tam calones & clientes cum l. c.* Pag. 470. *Deflenda namque eſt calamitas, ſi alma humilitatis materia, quâ reliquarum incrementa virtutum ſalubriter conſervantur ſanctæ virginitati, retinaculum ſuperbiæ, aut tendiculam elationis connectat ſytiria cavelanti data, quæ letiferum virus auferre ſolent, immutatis ordinibus detrimenta ſalutis exiſtant.* Monſtrum loci, quod expello. *connectat: ſi theriaca, vel antidota, quæ l.* Ibidem. *Sine aliquo puritatis offendiculo in diſrupta pudicitiæ repagula fine tenus feliciter ſervare contendunt.* Conjunge, *indiſrupta p. r.* Ibidem. *Dum ſirticiis Pſalmodiæ cantibus, & falſis lacrymarum fontibus ardens mentis deſiderium diſſimulare nequeunt.* Scribo, *& falſis l. f.* Ibidem. *Incompta virgini-*

*ginitatis induſtria, ſine reliquarum adminiculo virtutum, non opulentia Eccleſiaſticæ ſegetis ubertate, cum centenis meritorum manipulis ditabitur.* Scribo, *non opulentâ*. Pag. 472. *Iſta totis concinnorum crinibus calamiſtro criſpantibus delicatè componi ſatagit.* Scribo, *Iſta tortis.* Iterum. *Illa in cultu armiculorum cæſarie, & negligenter ſquallente capillaturâ, cum palmâ virginitatis coronam gloriæ in capite profert.* Scribo, *Illa incultâ a.c.* Sed illud, *armiculorum*, quid ſibi velit, nondum liquet. Amplius inquirendum cenſeo. Iterum. *Olim ut eum quadra mundi latitudo fœcundæ ſobolis proſapiâ repleretur, divina taliter ſanxerunt edicta: Creſcite, & multiplicamini.* Ejicio voculam, & ſcribo. *Olim, cùm quadra m. l.* Pag. 473. *Omnia hæc non ſunt extra palatium, ſed aliter ſedet in carvicâ præfecturæ dignitas, aliter mulorum vilitas, aliter, qui pedibus continet mulas, & tamen ſub uno Imperatore militare noſcuntur.* Supinus librarius ſæpius iteravit eandem vocem, quam ſemel expungo, & totum locum ita refingo. *a. ſ. in carrucâ præfecturæ d. aliter mulionum v. q. p. continent m.* Iterum. *Geminosque militum Ponticontharcos cœleſtis foci fulmine flagrantes, & ſupernis arſuros incendiis, crudeli*

flam-

*flammâ combuſtos extorruit.* Scribo, *militum Pentecontarchos.* Pag. 476. *Præmiſſo Chriſti taboro tutus, & Chriſti vexillo armatus, nec venenata draconum detrimenta tremebundus extimuit.* Scribo, *Chriſti laboro.* Laborum idem eſt, quod Labarum. Vide Gloſſarium noſtrum in λάβαρον. Pag. 484. *Ut latex lucernarum fundibulis infuſus, in olei craſſitudinem perniciter verteretur, & papinus in centro poſitus velut fomes pruinâ vel ſævo madefactus, ſolitò clariùs luceſceret.* Corrigo, *& papirus in c. p. v. fomes arvinâ vel ſevo m.* Iterum. *Quorum primus cum omni domeſticæ ſocietatis clientelâ, & propinquæ neceſſitudinis contribulibus, in propriÿ dogmatis tegulo ultricibus flammarum globis conflagraſſe memoratur.* Reſcribo, *in propriÿ domatis.* Eſt Græca inflexio, δώματος. Utitur etiam Plautus, Pag. 486. *Cùm verborum argumentis fallere nequiret, cruentis verborum ictibus vapulare coëgit.* Scribe, *verberum ictibus.* Leviculum eſt hoc, & vix admoneri dignum. Simile illud pag. 488. *Item innodoſi cippe clauſtrum viri Dei tibias & ſuras aſtringunt.* Dirime, *in nodoſi cippi.* Iterum. *Ille in latebroſum lacunæ latibulum, ubi cloacarum cuniculi pudores ſtercorum exceſſerunt, ferro conſtrictus*

*mittitur: ſed putor, & caligo, luce ſerenâ, & odoramentis fugantur nectareis.* Scribe, *putores ſtercorum.* Iterum. *Iſta ad proſtibula ſcortorum, & meretricum contubernia trudit.* Scribe, *truditur.* Abbreviatè ſcripſerat librarius, & hinc origo mendæ. Pag. 490. *Dum liciis olei liquore delibutis, digitorum articulos & palmarum pollices, ſimulque pedum alloces truciter adnecterent.* Scribe, *pedum allices.* Allices pedum eſſe, ut pollices manuum, notius eſt, quàm ut debeat admoneri. Ibidem. *Qui in ſubanis & ſindonibus bajulabantur ægroti.* Scribe, *in ſabanis.* Vide Gloſſarium noſtrum, in σάβανον. Pag. 491. *Vir Dei, dum Nilotica gurgitis fluenta tranſire ſatageret, & ſpoliare emellotæ amiculis erubeſceret, ne pudibundi corporis nuditas & indecens obſcænitas caſtos offenderet obtutus, &c.* Reſtituo, *ſpoliare ſe melotæ amiculis.* Pag. 494. *Licet organicabis quinquagenis & terquinis ſonorum vocibus concreparet harmonia.* Scribe, *organicanis.* Pag. 495. *Chriſti tiruncula nec ſermonum ſeveritate caſtigata, nec leonum fallaci lenocinio tradita.* Scribe, *nec lenonum.* Pag. 496. *Dum crudis nervorum flagris truciter crederetur, & crebris palmarum concuſſionibus exalaparetur.* Scribe, *truciter cæde-*

*cæderetur.* Pag. 501. *Tunc ſpurcas delubrorum cæremonias exhibet, quaſi Lupercalia & compitalia, vel Pænalia & ſuo veturilia turificando.* Scribo, & *Suovetaurilia.* Quæ ſint Suovetaurilia, ſive Solitaurilia, nôrunt vel mediocriter antiquitatis periti. Iterum. *Illicò ſponſis earum prodeuntibus ad apoſtaſiæ cloacam, velut Moloſſi ad vomitum, elapſis Chiliarcho cum equeſtri turmâ inſequente, Romam adducuntur.* Scribo, & interpungo. *ad vomitum relapſis, Chiliarcho, &c.* Pag. 502. *Ad ſtipem mancis & matricularis prodigâ liberalitate contulerunt.* Scribo, & *matriculariis.* Gloſſæ Iſidori. *Matricularius, pauper, inops.* Ibidem. *Eâdem tempeſtate contigit, ut univerſi municipes, quorum municipatus fuerat, virus & flatum ſquamoſi draconis non ferentes, ſpreto oppido vagabundis, quorum mancipatus in Tribulano municipio meatibus paſſim diſpergerentur.* Deleo iſta, *quorum mancipatus*, utpote nata ex ſupinâ iteratione præcedentium, *quorum municipatus.* Itaque reſcribo: *vagabundis in Tribulano m. m. p. d.* Iterum. *Quibus S. victoria, ſi relictis deorum ſtatunculis, & abdicatis delubrorum ſupercalibus ultro Deum colerent, ſpopondit ſe virulenta ſpumantis baſiliſci ſpiracula*

pro-

*procul pulſarant, & urbem incolumitati priſtinæ redditur am.* Emendo primò, *delubrorum lupercalibus*: deinde, *procul pulſaturam*. Iterum. *Nam propter venenata horrentis cælidri flabra calamitoſum vulgus ingenti ſtrage catervatim trucidabatur.* Scribe, *horrentis chelydri.* Pag. 503. *Et Marſum, qui virulentas matrices ad ſacræ virginis læſionem incantationum carminibus irritabant.* Scribe, *virulentas natrices.* Iterum. *Impensâ ſoſpitatis gratiâ freneticum curavit, dira procul terrorum explosâ ſpirituum veſaniâ.* Scribe, *procul tetrorum.* Iterum. *thorace indutum, orceis ac phalaricâ armatum.* Scribe, *ocreis ac.* Et paullo antè: *Enormem Allophilorum gigantem*, pro, *Inormem.* Pag. 504. *Nondum ferro temptâ cincinnorum cæſarie.* Scribe, *ferro demptâ.* Iterum. *Per Melchiſedech verò ſupernæ poteſtatis pontificium, & cæleſtis infulæ flaminum præſignabatur.* Scribe, *C. infulæ flaminium.* Eſt *Flaminium* dignitas flaminis, ut *Pontificium* pontificis. Utitur eâ voce Livius lib. VI. de Bello Punico, & Agellius lib. X. cap. XIII. Iterum. *Apocryphorum enim nænias, & incertas frivolorum fabulas, nequaquam Catholica ceptat Eccleſia.* Repete duas literas, hanc à principio unius, illam à fine alterius dictio-

dictionis, cum quibus coaluerunt; & ſcribe: *Catholica acceptat Eccleſia.* Pag. 505. *Alumnis cœnobij netuaculis Chriſti virginibus.* Scribe, *cœnobij vernaculis.* Sic initio libri dixit, *Catholicas Chriſti vernaculas.* Locus eſt Pag. 462. Ibidem. *Nec computari jam potes inter virgines Chriſti, quæ ſic vivit ut poſſit adamari.* Scribe, *ſic vivis ut poſſis.* Pag. 506. *Nam quippiam in rerum viſibilium plaſtica humanæ nativæ neceſſarium omnipotentem reliquiſſe infectum Catholicæ fidei regula refragatur.* Scribe, *humanæ naturæ.* Iterum. *Verùm quia hoc in ortâ Betuliæ obſidione pro contribulibus dolitura compatientis affectu, non caſtitatis affectu feciſſe. Idcircò ſalvâ pudoris reverentiâ celebre meticuloſis municipibus trophæum, & inclytum oppidanis trepidantibus triumphum, teſte tyrannico capite & canopæo reportavit.* Scribo, *a. feciſſet, idcircò.* Iterum. *Ornatum meretricio, & luxum lenocinitate væcordem juvenem pellexiſſe deſcribitur.* Corrigo. *Ornatu meretricio, & luxu lenocinitate.* Pag. 508. *Igitur digeſtæ pulcherrimæ virginitatis libello, licet mediocriter urbano ſtilus jam finem flagitat.* Scribo, *digeſto.* Iterum. *Diverſarum rerum diſtentionibus feſſementis cervicem gravi faſcis ſarcinâ deprimentibus.*

N

*tibus*. Scribo, *feſſæ mentis*. Iterum. *Rimoſa namque fragilis ingenij Babarca, diræ tempeſtatis turbine quaſſata, &c.* Scribe, *ingenij barca*. Vide Gloſſarium noſtrum in Ϭάλκα. Pag. 509. *De auratis petalis thoracidas ornare*. Scribe, *petalis*. Iterum. *Horate Chriſti tirunculæ ſit mihi præſentis opuſculi ratæ compenſatio*. Scribo, *Orate Chriſti t. ſ. m. p. o. rata c.* Iterum. *Ut qui propriâ meritorum qualitate & fidei fragilitate tremebundus ac nutabundus vacillare, videro robuſtiſsimâ patrociniorum veſtrorum columnâ fretus, feliciter ac firmiter fulciri merear.* Corrigo, *vacillare videor, rob.* Et hæc ſunt, quibus Aldhelmum iſtum juvare conati ſumus; quæ non ingrata fore æquo Lectori confidimus. Utinam ſit, qui majore otio majus beneficium aliquando in Auctorem optimè merentem conferat. Nos fortaſſe faciemus, ſi nemo hanc provinciam arripit.

## CAPUT II.

Salinum terebrare. *Perſius explicatus. Apuleius correctus.*

PErſij locus eſt, Sat. v.

*Verte aliquid, jura: ſed Jupiter audiet, eheu.*

*Baro, reguſtatum digito terebrare ſalinum*
*Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendes.*

Ergo, *Salinum terebrare*, poſuit pro, Pauperem eſſe: quod tales nimirum eſſent, qui iſto opere vitam tolerarent. Ecce in Epiſtolâ quadam Apollonij Tyanei ad Euphratem, Πάντα φασὶ δεῖν τὸν ἔμπορον κάλων σείειν. ἐμοὶ δὲ εἴη τὴν ἁλίαν τρυπᾶν ἐν θέμιδος οἴκῳ. Mendum eſt apud Apulejum, in Apologiâ. *Hoc Diogeni, & Antiſtheni, pera, & baculus, quod regibus diadema, quod imperatoribus paludamentum, quod pontificibus galerum, quod lituum auguribus. Diogenes quidem Cynicus, cum Alexandro Magno certabundus, baculo vice ſceptri gloriabatur. Ipſe denique Hercules invictus, quoniam hæc tibi, ut quædam mendicabula animi, ſordent, ipſe inquam Hercules, luſtrator orbis, purgator ferarum, gentium domitor: is tamen deus, cùm terras peragraret, paullò prius quàm in cœlum aſcitus eſt, neque unâ pelle veſtitior fuit, neque uno baculo comitatior.* Quid ſibi volunt iſta? *mendicabula animi.* Auſim affirmare, nunquam Madaurenſi huic in animo fuiſſe. Corrigo. *ut quædam mendicabula nimis ſordent.* Aperiam originem. Repetita erat, ut ſæpè fit, ultima litera vocis præcedentis, deinde ulti-

mam prima ſequentis abſorpſit. Atque hoc verum eſt.

## CAPUT III.

*Luna, Bacchus, Ceres, furoris præſides.* Lunatici, Bacchi, Ceriti, *pro furioſis. Numinum horum cultus, ut malum hoc averterent.*

APud veteres Luna furoris præſes credebatur, unde *Lunatici.* Ipſa dea apud Nonnum, Dionyſ. XLIV.

— ἶσα δὲ βάκχῳ.
κοιρανέω μανίης ἑτερόφρονος. —

Item Bacchus, ut patet ex iſtis verbis. Itaque cum delirare aliquem dicere vellent, *Bacchanal exercere* eum inquiebant. Apud Plautum, Amphitr.

Sc. *Quis ad fores.*
Me. *Bachanal te exercuiſſe oportet, ſenex.* Am. *qui dum?*
Me. *Quando tu me tuum ſervum cenſes.*

Et paullò poſt.

Me. *Amphitruo, ſanus ne es? nonne tibi prædictum ſenex,*
*Bacchinal te exercuiſſe, cùm, qui ſis, alium rogites?*

Ac, *Bacchus es,* dicebant pro convitio, in eoſdem homines. Eâdem Sc.

Me.

— Me. *Tu Bacchus es,*
*Haud Amphitruo. quoties tibi dictum vis?*

Nominabanrur autem *Bacchi*, qui orgia celebrabant. Suidas. Βάκχος. οὕτως οὐ μόνον τὸν Διόνυσον ἐκάλουν, ἀλλὰ καὶ πάντας τοὺς τελοῦντας τὰ ὄργια. Et hi furere ſe ſimulabant, ut notum. Hinc eſt illud, quod in Etymologico legitur. Βάκχος, μαινόμενος. Adjungebant etiam Lunæ & Baccho Cererem, unde *Ceriti*, homines lymphatici. Quamobrem & illum, & hanc, reverebantur, ne mentem moverent. Apparet ex Sc. *Dî voſtram fidem.* in eâdem Amphitruone.

— AM. *quis te miſit*
*Furcifer?* SO. *qui me rogat.* AM. *quando gentium?* SO. *dudum, jam pridem, modò,*
*Ibi cum uxore domi rediſti in gratiam.* AM. *Bacchus te irritaſsit.*
SO. *Nec Bacchum ſalutem hodiè, nec Cererem.* —

## CAPUT IV.

### Perſeparcus. Eſpectare. *Plautus correctus.*

IN Aulularia, Sc. *Poſtquam obſonavit.*
*Edepol mortalem parcè parcum prædicas.*

Non poteſt, quin mendum ſit: quid enim eſt aliud, *parcè parcus*, quàm, non liberalis quidem, ſed nec planè tamen parcus? At hîc valde parcum, & extremæ avaritiæ hominem, deſignare vult Comicus. Veriſsima lectio extra controverſiam eſt:

*—— mortalem perſeparcum prædicas.*

Pro, *perparcum*. eſt ἀρχαϊσμὸς. Nam *Perſe* pro *Per*, & *Perſefacul* pro *Perfacul*, veteres dicebant, ut ex Feſto cognoſcimus. In eâdem Comœdiâ, Sc. *Picos divitiis*.

*—— me collocavi in arborem,*
*Inde exſpectabam ubi aurum abſtrudat ſenex,*

Gulielmius ex MS^{to} *aſpectabam* mavult. At nos Plautum *eſpectabam* ſcripſiſſe judicamus. Deceptus fuit ſono literarum imperitus librarius. *Eſpectare*, pro *Aſpectare* dicebant, ut *Eſcendere*, & talia.

## CAPUT V.

### Φοινικίδια qui dicti.

VEteres Græci homines verecundos, & facilè erubeſcentes, nimis eleganti voce *Φοινικίδια* appellabant, nempe propter colorem. Obſervo ex Diogene Läertio lib. VII. in Zenone. Ἐντεῦθεν ἤκουε τοῦ Κράτητος, ἄλλως μὲν εὔτονος πρὸς

Φιλο-

φιλοσοφίαν, αἰδήμων δὲ, ὡς πρὸς τὴν κυνικὴν ἀναισχυντίαν. ὅθεν ὁ Κράτης, βουλόμενος αὐτῷ καὶ τοῦτο θεραπεῦσαι, δίδωσι χύτραν φακῆς διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ φέρειν. ἐπεὶ δὲ εἶδεν αὐτὸν αἰδούμενον, καὶ παρακαλύπτοντα, παίσας τῇ βακτηρίᾳ, καταῤῥήγνυσι τὴν χύτραν. φεύγοντος δὲ αὐτοῦ, καὶ τὸν φακῆς κατὰ τῶν σκελῶν ῥεούσης, φησὶν ὁ Κράτης. τί φεύγεις φοινικίδιον; οὐδὲν δεινὸν πέπονθας.

## CAPUT VI.

### Larinum pecus, *apud Plautum*.

NObilis ille Plauti locus eſt, Truculento, Sc. *Quis illic eſt*. de clurino pecore, pro quo multa diximus olim Exercitat. Crit. parte 1. Sed veteres codices nonnulli, Venetus, & Baſilienſis, habent, *Larinum pecus*: quod neſcio ſanè, an à Correctorum manu, an ab ipſius potiùs Plauti eſſe dicam. Certè potuit Comicus noſter imitari voluiſſe Eratoſthenem, qui σύας λαρινοὺς appellavit. Teſtatur Athenæus lib. IX. Παραπλησίως δὲ Ἀχαιῷ καὶ Ἐρατοσθένης ἐν Ἀντερινύϊ τοὺς σύας λαρινοὺς προσηγόρευσεν, μεταγαγὼν καὶ αὐτὸς ἀπὸ λαρινῶν βοῶν.

CA-

## CAPUT VII.

### *Latinus Pacatus emendatur.*

IN Latini Pacati Panegyrico de Imperatorum quorundam luxuriâ præſtantiſsimus locus eſt, cui ut medicinam faciam, viſum eſt huc tranſſcribere. Ita habet. *Horum gulæ anguſtus erat noſter orbis: namq; appoſitas dapes non ſapore, ſed ſumptu.* Viſus eſt mutilus quibuſdam, ſed planè ita corrigendus. *appoſitæ dapes.* Ecce, quàm pauxilla mutatio quàm magnum mendum peperit.

## CAPUT VIII.

### *Quid ſibi velit crux ſphæræ terreſtri impoſita: & unde originem res ea ſumpſerit.*

VIdemus hodie Imperatores ita pingi, ut ſiniſtrâ manu teneant ſphæram, quę orbem terrarum deſignet, eiq; impoſitam crucem. Quod ſanè quid ſibi velit, & quando natum, quùm multi adhuc ſine dubio ignorent, ego hîc explicare ſtatui. Sciendum itaque eſt, per crucem ſignificari, fidei in crucifixum Deum beneficio illos terrarum orbis imperium adeptos eſſe: primusq; ita in Auguſteone ef-

ne effingi ſe Juſtinianus curavit, poſt ædificatum S. Sophiæ templum; & ab illo mox reliqui Imperatores. Atque ita tradita in noſtras manus hæc conſuetudo. Codinus, in Orig. Conſtantinop. *Ἔστησε τὴν αὐτοῦ στήλην (ὁ Ἰουστινιανὸς) ἔφιππον ἐπὶ κίονος. καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν, ἐμπεπηγότος σταυροῦ ἐν αὐτῇ, ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως τῆς γῆς πάσης ἐγκρατὴς γεγονώς. σφαῖρα μὲν ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος. πίστις δὲ ὁ σταυρὸς, διὰ τὸν ἐν αὐτῷ προσηλωθέντα σαρκὶ θεόν.* Et habes totidem verbis apud Suidam in *Ἰουστινιανός*. Vide etiam Gotfridum Viterbienſem, Chronici Parte XIX.

## CAPUT IX.

### *Superſtitio veterum de offenſo pede.*

VEteres, ſi inter eundum pedem in terrâ offendiſſent, omen hoc eſſe inſtantis mortis, & quaſi vocantis, credebant. Accipimus ex Diogene Laertio, lib. VII. in vita Zenonis. *Ἐκ τῆς σχολῆς ἀπιὼν προσέπταισε, καὶ τὸν δάκτυλον περιέρρηξε. παίσας δὲ τὴν γῆν τῇ χειρὶ, φησὶ τὸ ἐκ τῆς Νιόβης,*

ἔρχομαι, τί μὴ αὔεις;
καὶ παραχρῆμα ἐτελεύτησεν, ἀποπνίξας ἑαυτόν.

Hinc Antigoni votum, cùm pedem offendiſſet, inſtructâ acie, ut aut vinceret, aut mortem oppeteret, antequam vinceretur. Plutarchus, in Demetrio. Ἀντίγονος δὲ, παραταττομένης ἤδη τῆς φάλαγγος, ἐξιὼν προσέπταισεν, ὥστε πεσεῖν ὅλος ἐπὶ στόμα, καὶ διατεθῆναι χαλεπῶς. ἀναστὰς δὲ, καὶ τὰς χεῖρας πρὸς τὸν οὐρανὸν, ᾐτήσατο νίκην παρὰ τῶν θεῶν, ἢ θάνατον ἀναίσθητον πρὸ τῆς νίκης.

## CAPUT X.

*Pudicæ mulieres ſemel tantùm nubebant. Pronubæ ſemel nuptæ. Bis nuptis Pudicitiæ, & Fortunæ Muliebris, ſignum tangere nefas.* Univira. *Corona pudicitiæ. Secundæ nuptiæ ſine celebritate.*

HOneſtæ matronæ, & quibus pudicitiæ gloria curæ erat, ſemel tantùm viro nubebant: itaq; nuptiis quoque, in auſpicium, & votum, ſingularis matrimonij, pronubæ capiebantur univiræ.

Do-

Docet nos morem eum Feſtus. *Pronubæ adhibebantur nuptiis, quæ ſemel nupſerunt, cauſſâ auſpicij, ut ſingulare perſeveret matrimonium.* Quæ iterum nupſiſſet, tanquam impudicitiæ damnata, attingere Pudicitiæ, ac Fortunæ Muliebris, ſimulacrum prohibebatur. Idem Feſtus alibi. *Pudicitiæ ſignum in foro Boario eſt, ubi Æmyliana ædis eſt Herculis. Eam quidam Fortunam eſſe exiſtimant. Item viâ Latinâ, ad milliarium quartum, Fortunæ Muliebris. Nefas eſt attingi, niſi ab eâ, quæ ſemel nupſit.* Quare inter laudes non minimas ponebant, univiram eſſe. Ecce in veteri Lapide.

VOLUSIÆ. JUSTÆ. MATRI
SIMÆ. OMNIUM. FEMINAR
TIORI. UNIVIRIÆ. QVE

Et in altero,

TRANSEGI
FALSI. SECULI. VITAM. UNIUS
VIRI. CONSORTIO.

Cornelia, apud Propertium, lib. IV.

*Jungor, Paulle, tuo ſic diſceſſura cubili,*
*In lapide hoc uni nupta fuiſſe legar.*

Et paullò poſt in mandatis filiæ quoque dat.

*Filia, tu ſpecimen cenſuræ nacta paternæ,*
*Fac teneas unum, nos imitata, virum.*

Et honorabantur coronâ pudicitiæ. Val. Max. lib. II. cap. I. *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. Exiſtimabant enim eum, præcipuè matronæ, ſincerâ fide incorruptum eſſe animum, qui depoſitæ virginitatis cubile egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam, quaſi illegitimæ cujuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes.* Quæ autem iterum nuberent, quia inhoneſtiùs faciebant, ſine ullâ hominum frequentiâ nuptias celebrabant, & quaſi clandeſtinò. Plutarchus auctor eſt, ῥωμαϊκοῖς, Quæſt. cv. Ταῖς μὲν παρθένοις καλὸν μὴ ὀλίγων, ταῖς δὲ χήραις αἰσχρὸν πολλῶν ὄντων γαμεῖσθαι. ζηλωτὸς γὰρ ὁ πρῶτος γάμος, ὁ δὲ δεύτερος, ἀπευκταῖος. αἰσχύνονται γὰρ, ἂν, ζώντων τῶν προτέρων, ἑτέρους λαμβάνωσιν· ὀδύρονται δ', ἂν ἀποθανόντων. ὅθεν ἡσυχίᾳ χαίρουσι μᾶλλον ἢ θορύβοις, καὶ προπομπαῖς.

## CAPUT XI.

### *Perſonæ Tragœdorum Baccho ſuſpendi ſolitæ.*

Tra-

TRagœdos Baccho ſacros fuiſſe, nemo ignorat; itaque, ut emeriti milites arma ſua Marti, gladiatores rude donati Herculi, paſtores fiſtulam Pani, mulieres vetulæ & effœtæ pectinem Veneri ſuſpendebant: ita hi, cùm artem ſuam deſinerent, perſonas in templo Bacchi conſecrabant. Hinc eſt elegans ille locus Ariſtophanis, in Fabulâ, quæ *γῆρας* inſcribitur, apud Phrynichum; cui iſtud fragmentum debemus, & ex eo quoque moris tam antiqui cognitionem.

*Τίς ἂν φράσειε παῖς, τὸ Διονύσιον,*
*Ὅπου τὰ μορμολύκεια προσηρεμάννυται;*

## CAPUT XII.

Gurgites. *γοργόνες*. Manduci. *Grammaticorum error.*

VEterem linguam Latinam eſſe Græcæ traducem jam non ignotum eſt vel mediocriter eruditis, & penitus inſpicienti non pauca adhuc ſe exhibent ejus rei veſtigia. Nos unum oſtendemus in præſens. Hactenus exiſtimatum eſt, *Gurgites* eſſe loca profundiora fluminum, in quibus vertuntur aquæ, & naves pereunt, atque inde translatè homines voraces, & inſatiabiles. Sed, quæſo, patiantur

antur Grammatici eripi ſibi à me hunc errorem, ſi contrarium oſtendero. Græci homines voraces ſupra modum, & ad terrorem uſque, *γοργόνας* appellabant. Suidas. Γοργόνες. *ἀντὶ τῦ φοβεροὶ εἰς γαστριμαργίαν.* Translata, ut multæ aliæ, hæc quoque vox in Latium, & *Gurgen* natum eſt primò, mox *Gurges:* ut *Limen, Limes.* Jam *Gurgen* quis negabit idem eſſe quod *γοργών*, qui ſciet modò antiquam literas commutandi rationem? *γοργών*, *Gurges:* ut *κύκλωψ*, *Cocles.* *ἀλώπηξ*, *Vulpes.* Ergo *Gurges* eſt propriè homo prodigioſè vorax, & translata deinde ſignificatio ad navivoros illos fluviorum vortices, quod Grammaticorum nemo hactenus ſcivit. Etiam *Manduci* dicebantur, & ad voracitatem repræſentandam pingebantur malis magnis, & hiantibus turpiter, ad formidinem uſque, & terrorem infantium. Feſtus. *Manducus, effigies in pompâ antiquorum inter cæteras ridiculas formidoloſasq́ ire ſolebat, magnis malis, ac latè dehiſcens, & ingentem dentibus ſonitum faciens.* Plautus, Rudente.

*Quid ſi aliquò ad ludos me pro manduco locem?*
*Quapropter? quia pol clarè crepito dentibus.*

De hoc ipſo intelligi debet Juvenalis Sat. III.

*tan-*

—— *tandemq́ redit ad pulpita notum*
*Exodium, cùm perſonæ pallentis hiatum*
*In gremio matris formidat ruſticus infans.*

Et Lucianus, De Salt. Τὴν τραγῳδίαν δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος πρότου καταμάθωμεν, οἵα ἐστιν, ὡς εἰδεχθὲς ἅμα καὶ φοβερὸν θέαμα εἰς μῆκος ἄῤῥυθμον ἠσκημένος ἄνθρωπος, ἐμβάταις ὑψηλοῖς ἐποχούμενος, πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον ἐπικείμενος, καὶ στόμα κεχηνὸς πάμμεγα, ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατάς.

# CAPUT XIII.

## *Varia antiquorum juramentorum genera.*

INter varia antiquorum juramenta unum erat inſigne, & μέγας ὅρκος à Græcis dicebatur: idque erat, cùm per Stygem dij, aut per deos homines jurarent. Heſiodus in Theog. ubi de Styge.

αὐτὴν μὲν γὰρ ἔθηκε θεῶν μέγαν ἔμμεναι ὅρκον.

Homerus Odyſſ. β′.

ὡς ἄρ᾽ ἔφη. γρῆυς δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ἀπώμνυ

Odyſſ. έ.

εἰ μή μοι τλαίης γε θεὰ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι.

Pin-

Pindarus, Olymp. Od. vi.

*καὶ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαις*
*τοῦτό γε οἱ σαφέως μαρτυρή-*
*σω.* ——

Od. vii.

—— *θεῶν δ' ὅρ-*
*κον μέγαν μὴ παρφάμεν.*

Solebant verò, qui *τὸν μέγαν ὅρκον* jurabant, *πρῶτον θεοὺς ὀμνύναι, εἶτα ἐπάγειν καὶ τὰς ἰδίας συμφοράς.* ut ait Apollonij Scholiaſtes lib. ii. Atque id propriè *ὀμνύειν* dicebant. Didymus ad Odyſſ. β'. *ὀμόσαι μὲν τὸ εἰπεῖν θεῖόν τι ὄνομα, οἷον, νὴ τὸν ἑρμοῦ, μὰ τὰς ἐλευσινίας θεάς.* Apud Syracuſanos, magnum juramentum iſtud erat. Fidem qui daturus eſſet, in templum Cereris, ac Proſerpinæ, ingrediebatur, ſacrificiisque quibuſdam peractis, veſtem deæ purpuream induebat, & facem manu ardentem capiebat, ac tum jurabat. Plutarchus docet, in extremo Dione: *Ἠξίουν αὐτὸν ὀμόσαι τὸν μέγαν ὅρκον. ἦν δὲ τοιοῦτος. καταβὰς εἰς τὸ τῶν θεσμοφόρων τέμενος ὁ διδοὺς τὴν πίστιν, ἱερῶν τινων γενομένων, περιβάλλεται τὴν πορφυρίδα τῆς θεοῦ· καὶ, λαβὼν δᾷδα καιομένην, ἀπόμνυσι.* Ægyptiorum magnum juramentum erat per Oſirim. Lycophro-

nis Scholiaſtes. *ἐν Φήλαις δὲ πόλει αἰγύπτου τὸ μέγιστον τῶν τῶν ἱερῶν, ὃς καὶ μέγας ὅρκος τοῖς αἰγυπτίοις ἐτύγχανε, μὰ τὸν ἐν Φήλαις ὄσιριν λέγουσιν.* Alioquin ſimpliciter jurabant per res obvias, *μὰ γῆν, μὰ παγίδας, μὰ νεφέλας, μὰ δίκτυα*, & per ſimilia. Videmus apud Ariſtophanem. Heſychius. *χῆνα ὀμνύειν. ἔθος τῶν τὸ κατὰ τῶν τοιούτων ὀμνύειν τοῖς παλαιοῖς.* Aliquando etiam ſolummodò dicebant, *μὰ τὸν*, metuentes Dei nomen adjicere. Ariſtophanis Scholiaſtes, ad Ranas. *ἔθος ἐστὶ τοῖς ἀρχαίοις ἐνίοτε μὴ προστιθέναι τὸν θεὸν, εὐλαβείας χάριν. εἰώθυσαν δὲ τοιούτοις ὅρκοις χρῆσθαι ἐπευφημιζόμενοι. ὥστε εἰπεῖν μὲν, μὰ τὸν. ὄνομα δὲ μηκέτι προσθεῖναι.* Iones per braſsicam jurabant. Athenæus lib. IX. *ἀνάνιος δέ φησι, σε πολλῶν ἀνθρώπων ἐγὼ φιλέω μάλιστα, ναὶ μὰ τὴν κράμβην. καὶ τηλεκλείδης πρυτάνεισι, ναὶ μὰ τὰς κράμβας ἔφη. καὶ ἐπίχαρμος ἐν γᾶ καὶ θαλάσσα. ναὶ μὰ τὰν κράμβαν. εὔπολις ἐν βάπταις, ναὶ μὰ τὴν κράμβην. ἐδόκει δὲ ἰωνικὸς εἶναι ὁ ὅρκος.* Socrates per canem, Zeno per capparim. Idem Athenæus libro citato. *οὐ παράδοξον εἰ κατὰ τῆς κράμβης τινὲς ὤμνυον, ὁπότε καὶ ζήνων ὁ κιτιεὺς ὁ τῆς στοᾶς κτίστωρ, μιμούμενος τὸν κατὰ τῆς*

κυνὸς ὅρκον σωκράτους, καὶ αὐτὸς ὤμνυε τὴν κάππαριν. Quod & tradit Diogenes Laertius lib. VII. in Zenone. Exſtat quoque ridiculum juramentum, quod Socrati attribuit Ariſtophanes, in Nubibus.

μὰ τὴν ἀναπνοὴν, μὰ τὸ χάος, μὰ τὸν ἀέρα.

Byzantij per nummos ferreos jurabant. Idem Comicus, in Fabulâ citatâ.

—— τῷ γὰρ ὄμνυτ'; ἢ
σιδαρέοισιν, ὥσπερ ἐν βυζαντίῳ;

Pythagorici, per quaternarium numerum.

ναὶ μὰ τὸν ἁμετέρα ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν.

Erras Meursi, non jurabant per τὴν τετρακτὺν, sed per τὸν παραδόντα τετρακτὺν. i. omnium facultatum animae quaternionem, sc. Deum, qui est fons naturae. Vide Macrob. lib. 1. cap. 6.

Exſtat in Aureis Carminibus. In menſâ ſi jurare vellent, faciebant per appoſitum ſalem. Libanius, in Paraſito. καὶ τὰ μὲν πρῶτα, νὴ τοὺς ἅλας τούτους. πῶς δέ ὁ δυστυχὴς παρατρέπομαι. συμπόσιον τὸ δικαστήριον οἰηθεὶς. ἀλλ' οὖν τά γε πρῶτα κατὰ γνώμην ὁ σκόπος ἐχώρει. Invenio etiam in ſolemnibus juramentis morem fuiſſe, ut jurantes, ferri laminam manu tenentes, per ignem tranſirent, (nihil enim mali paſſuros putabant, qui culpæ non eſſent obnoxij) moxque abjicientes in mare, dicerent, tam diu ſe fidem ſervaturos, quàm illa lamina eſſet duratura. Sophocles, in Antigone,

ἦμεν

*ἦμεν δ' ἑτοῖμοι καὶ μύδρους αἴρειν χεροῖν,*
*καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν,*
*τὸ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῷ ξυνειδέναι*
*τὸ πρᾶγμα βουλεύσαντι, μήτ' εἰργασμένῳ.*

Scholiaſtes. *Εἰώθασι γὰρ οἱ ὀμνύοντες ταῦτα ποιεῖν. μύδρους γὰρ αἴροντες ἐπαρῶνται μένειν τὰ ὅρκια ἕως αὐτοὶ φανῶσι, καὶ ῥίπτουσιν αὐτοὺς εἰς θάλασσαν, ὅπως ἂν αἰώνια τὰ ὅρκια ὑπάρχῃ.* Demetrius Triclinius. *Εἰώθασι δὲ ὀμνύοντες, καὶ πίστεις διδόντες, μύδρους βαστάζειν, καὶ πῦρ ὑπερβαίνειν. τοὺς γὰρ μὴ ἐνόχους τῷ ἁμαρτήματι, ᾤοντο καὶ ἐπὶ τούτοις μὴ ἀλγεῖν.* Videmus etiam eum morem apud Herodotum. *Κλειοῖ. Ἐποιήσαντο ἰσχυρὰς κατάρας τῷ ὑπολειπομένῳ ἑωυτῶν τοῦ στόλου. πρὸς δὲ ταύτησι καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντωσαν, καὶ ὤμοσαν, πρὶν μὴ εἰς Φωκαίην ἥξειν, πρὶν ἢ τὸν μύδρον τοῦτον ἀναφανῆναι.* Huc pertinet verſus Callimachi.

*Φωκείων μέχρις κε μένῃ μέγας εἰν ἁλὶ μύδρος.*

Jurabant quoque per ipſum jusjurandum. Pindarus Nemeon. Od. XI.

*ναὶ μὰ γὰρ ὅρκον ἐμὰν δόξαν, παρὰ Κασταλίᾳ.*

Scholiaſtes. *ἰδίως οἱ παλαιοὶ κατ' αὐτοῦ τοῦ ὅρκου ὤμνυον.* Juramentorum verò ſpecies tres. *ἐπώμοτος,*

τος, ἀπώμοτος, κατώμοτ☉. Vide Etymologici Auctorem, & Harpocrationem. Atque ἀπώμοτος quidem Latinis eſt *Abnutivum*. Gloſſæ veteres. *Abnutivum*, ἀπωμοτικὸν. Et κατώμοτος eſt *Adnutivum*, Eædem Gloſſæ. *Adnutivum*, κατωμοτικὸν. Sub Chriſtianis Imperatoribus, per Evangelia juratum eſt. Baſilic. Eclog. VII. προκειμένων τῶν ἁγίων εὐαγγελίων δικαζέτωσαν, τῶν ἑκατέρου μέρους συνηγόρων ἐν αὐτῇ τῇ προκατάρξει ὀμνύντων κατὰ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων. Iterum XXIX. ὥστε ἐκείνους τῶν ἁγίων εὐαγγελίων προκειμένων, ἐπὶ πράξεως ὑπομνημάτων καταθέσθαι, εἰ ταῖς ἀληθείαις ὁ ταύτης ἀνὴρ τετελευτήκει. Menander. περὶ πρεσβ. Eclog. II. παραχρῆμα οὖν ὁ τῆς σιγηδόνος πόλεως τὴν ἀρχιερωσύνην διέπων, τὰς θεσπεσίας βίβλους αὐτῷ διὰ τῶν ἐν μέσῳ τὰς ἀγγελίας διακομιζόντων ἐνεχείρισε, καὶ ὃς δολερώτατά πως ἐπικρυψάμενος τὸν νοῦν, ἀνίσταταί τε ἐκ τῆς καθέδρας, καὶ σὺν φόβῳ δῆθεν πολλῷ, καὶ σεβάσματι, ταῦτα προσποιησάμενος δέχεσθαι. καὶ προσκυνήσας προθυμότατα, ὄμνυμι κατὰ τοῦ λαλήσαντος τὰ ἐν ταῖς ἁγίαις διφθέραις ῥήματα θεοῦ, μηδὲν εἰρημένων παρ' αὐτοῦ διαψεύσεσθαι. Cantacuzenus Hiſt. lib. I. cap. XV. *Per ſacra Evangelia, & reverendas ſanctorum*

*torum imagines, fideliter jurare jubes.* Harmenopulus, lib. I. Tit. VII. ὁ ἐκ δικαστικῆς ψήφου, ἢ ἐξ αἰτήσεως τοῦ ἀντιδίκου, ὅρκον ἐπέχων ἐπ' ἐκκλησίας, τῶν ἀχράντων ἁπτόμενος εὐαγγελίων, ἐπιορκεῖν δὲ μετὰ ταῦτα ἐλεγχθεὶς, γλωσσοκοπείσθω. Et ſunt plura paſsim teſtimonia.

## CAPUT XIV.

### *Viri à mulieribus ſeorſim cubabant.*

VIros ſeorſim à mulieribus cubaſſe, apud Græcos, loquuntur illa vocabula, γυναικωνῖτις, & ἀνδρών: eſtq; locus apud Diogenem Laërtium, lib. VIII. in vitâ Pythagoræ, unde licet haurire. τῇ δὲ πρὸς τὸν ἴδιον ἄνδρα μελλούσῃ πορεύεσθαι, ἅμα τοῖς ἐνδύμασι, καὶ τὴν αἰσχύνην ἀποτίθεσθαι. ἀνισταμένην τε πάλιν ἅμα ἀναλαμβάνειν. Et obſerva: mulieres ad viros accedebant. Secubatio autem hæc etiam Romanis uſitata. Animadverto ex Suetonio, Tiberij cap. VII. *Cum Juliâ primò concorditer, & amore mutuo vixit: mox diſſedit, & aliquantò gravius, ut etiam perpetuò ſecubaret, intercepto communis filij pignore; qui, Aquileiæ natus, infans exſtinctus eſt.* Et diſertè mulierum lectos diſtinguit à virorum Plinius, lib. XXXIII. cap. XI. Lo-

cum produximus in lib. *De Luxu*, cap. x. ſtatim in principio. Itaque hîc non iterabimus.

## CAPUT XV.

### Pons *januæ. Januæ carcerum demiſſæ, ut & ædium tenuiorum.*

SUperius limen, quia in pontis modum eſſet arcuatum, januæ *Pontem* appellârunt Romani. Velleius libr. II. *Quem cùm haruſpex Tuſcus, amicus, flentem in vincula duci juſsiſſet; Quin tu hoc potius, inquit, facis? protinusq́ illiſo capite in pontem lapideum januæ carceris, effuſoque cerebro exſpiravit.* Sed quomodò attingere pontem potuit? Clarè patet demiſſas carcerum januas fuiſſe, adeò ut intrantibus inclinare ſe neceſſe eſſet. Neq; in ſolis carceribus tales, ſed & in ædibus tenuiorum. Atque hinc intelligendus eſt Martialis libr. II. Epigramm. LIII.

*Vis fieri liber? mentiris, Maxime, non vis.*
*Sed fieri ſi vis, hâc ratione potes.*
*Si plebeia Venus gemino tibi vincitur aſſe;*
*Si tua non rectus tecta ſubire potes.*

## CAPUT XVI.

### *Feſtum nati Imperatoris, & coronati.*

Duplex

DUplex feſtum Imperatoris celebrabatur: unũ diei natalis, alterum coronationis, ſive acquiſiti imperij. Erantque tunc ludi in theatro; in circo certamina, & venationes. Et vetus omninò ille mos: nam, ecce, de feſto natali, ex Suetonij Caligulâ cognoſcimus, cap. xxxi. *Conſulibus, oblitis de natali ſuo edicere, abrogavit magiſtratum; fuitq; per triduum ſine ſummâ poteſtate Reſpublica.* De feſto imperij, clarum teſtimonium idem Suetonius perhibet, Claudij cap. xi. *Caij quoque, etſi acta omnia reſcidit, diem tamen necis, quamvis exordium principatus ſui, vetuit inter feſtos referri.* Domitianus quoq; Septembrem atq; Octobrem ex nomine ſuo Germanicum & Domitianum nominavit, quod altero ſuſcepiſſet imperium, altero verò natus eſſet. Vide eundem Suetonium cap. III. Et obtinuit ſub poſterioribus Imperatoribus. Veſtigium manifeſtum in l. nullus. Cod. Theod. de Spectaculis. *Nullus omninò judicum aut theatralibus ludis, aut circenſium certaminibus, aut ferarum curſibus vacet, niſi illis tantùm diebus, quibus vel lucem, vel imperij ſumus ſceptra ſortiti.* Et in Baſilicis lib. VII. καὶ ἡ ἡμέρα δὲ ἡ γενεθλιακὴ τοῦ βασιλέως, ἢ καθ᾽ ἣν ἀνηγορεύθη βασιλεὺς, ἄπρακτος ἔστω. At feriatos eſſe

hos

hos dies inter Imperatores Orientales expreſsè vetuit Manuel Comnenus: exſtantq; hæc verba in Conſtitutione ipſius. *αὐτὰς τὰς ἡμέρας, ἐν αἷς ἡ βασιλεία μου καὶ εἰς τὸν τῆδε βίον προῆκται, καὶ εἰς βασιλέα θεοῦ προνοίᾳ ἀνηγόρευται, ἐμπράκτους εἶναι θεσπίζει, καὶ μηδεμίαν ἐκεχειρίαν ἐν ταύταις ἄγειν τὰ δικαστήρια.*

## CAPUT XVII.

### *De nomine Caſinæ.*

Auctor Prologi Caſinæ Plautinæ.

*Aures vacivæ ſi ſunt, animum advertite.*
*Comœdiæ jam dare nomen vobis volo.*
*Clerumenœ vocatur hæc Comœdia*
*Græcè, Latinè Sortientes. Diphilus*
*Hanc Græcè ſcripſit, poſt id rurſum denuò*
*Latinè Plautus cum latranti nomine.*

Valdè hic torquet viros magnos unde Caſina dicta, & quid illud, *cum latranti nomine*, quod profectò nihil aliud eſt, quàm deliramentum Scriptoris, qui Prologum nobis iſtum dedit, neque mentem Plauti intellexit. Attendamus benè. Diphilus primò Græcè ſcripſit, appellataq; ab eo fuit, *κληρούμενοι*, id eſt, *Sortientes*. Plautus, Latinam facturus, *Caſinam* nominavit, à caſu, ſive ſorte. Quid poteſt planius? & hîc tamen tantæ turbæ etiam literatorum Senatui.

CA-

# CAPUT XVIII.

## Minare. *Seneca emendatus.*

ELegans locus eſt Arellij Fuſci, de laudatâ veterum Romanorum paupertate, apud Senecam, lib. II. Controverſ. I. *Hoc ſcio noſtros fuiſſe majores, hoc illum Ælium Tuberonem, cujus paupertas virtus fuit; hoc Fabritium, Samnitium non accipientem munera; hoc cæteros patres noſtros, quos apud aratra ipſa, mirantes decora ſua, circumſtetere lictores.* Sed mendo non caret. Quid enim hoc eſt? *apud aratra ipſa, mirantes decora ſua.* Immò illi heroes, ita rectè appellaverim, in ſummâ ſimplicitate ſuâ, & ſanctitate, nihil admirabantur: atque hinc contemptus ille divitiarum, & animus invictus, nulliq; corruptelæ patens. Corrigo leviculâ mutatione. *ante ipſa aratra minantes pecora ſua.* Vox inſolentior, non intellecta, mendo originem dedit. Certè *Minare*, uſurpabant pro *Agere.* Invenimus in Feſti ſcedis. *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes.* Iterum. *Agere, modò ſignificat, ante ſe pellere, id eſt, minare.* Tertiò. *Inigere pecus, agere, id eſt, minare.* Interpres Juvenalis, Sat. VI. *Hanc igitur Io intantùm perſecuta eſt Juno, ut per omnem mun-*

*dum eam minaret.* Ergo hæc vera lectio eſt quam erui.

## CAPUT XIX.

### Aureus *vitæ. Augeri manes. Martialis, & Papinius, exponuntur.*

UT aureus viginti quinque denarios complectebatur, ita totidem annos *Aureum vitæ* appellabant. Docet hoc inſignis locus Martialis, lib. x. Epig. XXIV.

*Quinquageſima liba, ſeptimamq;*
*Veſtris addimus hanc focis acerram.*
*His vos, ſi tamen expedit roganti,*
*Annos addite bis, precor, novenos:*
*Ut nondum nimiâ piger ſenectâ,*
*Sed vitæ tribus aureis peractis,*
*Lucos Elyſiæ petam puellæ.*

A Martiale ad coætaneum Papinium tranſibo. In ſacrificiis, ut notum eſt, mactos eſſe Deos jubebant; quod Grammatici explicant, quaſi magis auctos eſſe vellent. Feſtus. *Mactus, magis auctus.* Item. *Magmentum, majus augmentum.* Atque hinc intelligendum eſt, quod *Augeri manes* ille poëta, Theb. VI. Hic locus eſt.

*—— ſed caſſa tamen, ſterilisque, dolentes*
*Fama juvat, parviq; augentur funere Manes.*

Egebat omninò explicatione.

CA-

# CAPUT XX.

## Rediculum. Tubæ. Cornua. Seceſpite. *Feſtus illuſtratus.*

VEllem explicaſſent viri docti, quid *Rediculum* ſit, in ſcedis Feſti, in *Seceſpita.* Hæc verba ſunt. *Sacraria namq; in templis rediculo æneo olim ſepiebantur, in quo tubæ relictæ ſunt, per quas manibus ſacra tangere licet.* Certè aut ego longè fallor in eruendâ antiquitate, aut omnino veteres *Redicula* appellaverunt cancellos, & ſepimenta cancellata, quibus muniebantur loca, ad quæ acceſſus ulterior vetabatur. Ut enim à *Curro, Curriculum*; à *Diverto, Diverticulum*; à *Pereo, Periculum*; ita à *Redeo, Rediculum* dixerunt. Et notum eſt Fanum rediculi, ex eodem Feſto. *Rediculi fanum, extra portam capenam Cornificius ait fuiſſe: qui rediculus propterea appellatus eſt, quia accedens ad urbem Hannibal ex eo loco redierit, quibuſdam viſis perterritus.* Sed, bonâ fide, ut Deus aliquis fuerit Rediculus? Cornificius videtur cenſuiſſe, Feſtus nihil decernit: apage nugas. An me oportet docere tam antiquos magiſtros? Sanè ſciunt viri eruditi, morem Romanum fuiſſe, ut, mittendæ ad poſteros memo-

riæ causâ, aut aram ponerent virtuti, vel rei, quam vellent laudatam, aut fanum. Talia illa ſunt, quæ paſsim obvia apud Tacitum, lib. I. Annal. Ara adoptionis. lib. III. ara ultionis. libr. IV. ara amicitiæ, ara clementiæ. libr. XV. templum fæcunditatis. Et in nummis veteribus, atque Inſcriptionibus, multa talia. Ergo, fanum rediculi, eodem modo, quia redire ibi Annibal, & retrò pedem vertere, ſit coactus terriculamentis. Sed ex illis verbis, *in quo tubæ relictæ ſunt, per quas manibus ſacra tangere licet.* apparet *Tubas* appellatas etiam foramina cancellorum, â ſimilitudine. Etiam *Cornua* dicebantur. Varro de L. L. lib. IV. *Tubæ à tubeis, quos etiam nunc ita appellant tubicines ſacrorum. Cornua, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.* Porrò rediculum etiam *Seceſpita* dicebatur, quod quaſi ſecaret, & divideret homines à locis circumſeptis. Nam duo deſignabat ea vox: & hoc, quod dixi; & cultrum, aptum ſacrificio; quem nobis ex Labeone deſcribit idem Feſtus. *Seceſpitam eſſe Antiſtius Labeo ait, cultrum ferreum oblongum, manubrio rotundo eburneo, ſolido, vincto ad capulum auro, argentoq; fixum clavis æneis ære Cyprio, quo Flamines, Flaminicæ, Virgines, Pontificesq; ad ſacrificia utun-*

*utuntur. Eadem aliàs dicitur quâ in ſacrario utuntur. Sacraria namque in templis rediculo æneo olim ſepiebantur, in quo tubæ relictæ ſunt, per quas manibus ſacra tangere licet.* Inſignis herculè locus, & quem periiſſe graviter profectò intererat omnium antiquitatis ſtudioſorum.

## CAPUT XXI.

*Unguentum* nucarium. *Varro reſtituitur. Nux ad remedia. capillorum. Capilli nigri in laude.*

VArro de L. L. lib. VI. *Scænicula, ab ſcæno, nugario unguento.* Sed, errare eum in explicatione vocis, oſtendi ſatis jam olim, in Curis Plautinis. Interim legendum hîc cenſeo, *nucario unguento.* Nam olim mulieres, formæ ſtudioſæ, eo utebantur, ad prohibendam alopeciam. Plinius, libr. XXIII. cap. IV. *Cupreſſinum oleum eoſdem effectus habet, quos myrteum. E nuce verò juglande, quod carynum appellamus, alopeciis utile eſt.* Tingebant quoq; comam viridi cortice nucis. Tibullus lib. I. Eleg. IX.

*Tum ſtudium formæ eſt, coma tum mutatur, ut annos*
*Diſſimulet, viridi cortice tincta nucis.*

Hoc autem faciebant, ut nigra fieret. Subindicat ſequens verſus.

*Tollere tunc cura eſt albos à ſtirpe capillos.*

Nigram enim comam mulieres iſtas affectâſſe, notum eſt ex multis poëtarum locis, quibus onerare lectorem non eſt opus. Unum tantùm Ariſtænetum teſtem dabo, lib. I. in epiſtolâ Cyrtionis. Ἐξέλαμπε γὰρ ἐκ πολλῆς τε καὶ μελαίνης κόμης λευκὸς τράχηλος. Hanc vero vim nuci ineſſe, alibi quoque hic ipſe Varro, quem emendavimus, & cujus cauſsâ hæc ſcribimus, teſtatur, lib. VI. *Nux, quod ut nox aërem, ita hujus ſuccus facit corpus atrum.*

## CAPUT XXII.

### *Mos inquirendi amiſſa.*

QVi aliquid amiſiſſent, columnæ alicui inſcribebant, & rem amiſſam, & nomen, cujus ea eſſet; item, ubi habitaret: promiſsâ quoque inventori ſtipe, ut redderet. Indicat hunc morem Propertius, lib. III. Eleg. penultimâ, de amiſsis tabellis loquens.

*Quas ſi quis mihi rettulerit, donabitur auro:*
*Quis pro divitiis ligna retenta velit?*
*I puer, & citus hæc aliquâ propone columnâ;*
*Et dominum Exquiliis ſcribe habitare tuum.*

Vel

Vel per præconem etiam quærebant. Apulejus. *Si quis à fugâ retrahere, vel occultam demonſtrare potuerit, regis filiam, Veneris ancillam, nomine Pſychen, conveniat retrò metas Murcias Mercurium prædicatorem.* Moſchus, Idyll. 1.

ἁ κύπρις τὸν ἔρωτα τὸν υἱέα μακρὸν ἐβώστρει,
ὅστις ἐνὶ τριόδοισι πλανώμενον εἶδεν. —

Si neque per preconem recipere potuiſſent, à prætore conquiſitores impetrabant. Plautus, Mercat. Sc. *Sumne ego.*

*Certum eſt, preconum jubere jam quantum eſt conducier.*
*Qui illam inveſtigent, qui inveniant. poſt ad pretorem illicò*
*Ibo; orabo, ut conquiſitores det mihi in vicis omnibus,*
*Nam mihi nihil reliqui quicquam aliud jam eſſe intelligo.*

## CAPUT XXIII.

### *Cultrorum duo genera.* Secures. Dolabræ.

VEteres acuta ferramenta omnia *Cultros*, generali vocabulo, indigetabant. Et horum duo quidem genera: nam, qui ſecabant, *Secures*; qui planabant, *Dolabræ* dicebantur. Colligere licet attento Lectori ex iſtis fragmentis Feſti, doctiſsimi Gram-

Grammatici; *Scenam genus fuiſſe cultri manifeſtum eſt: ſed utrum ſecuris, an dolabra ſit, ambigitur.*

## CAPUT XXIV.

### *Die Reſurrectionis, & Paraſceves, & toto tempore Pentecoſtes, genua non flectebant.*

IN Eccleſiâ vetere die paraſceves, & Paſchatis, & toto illo ad Pentecoſten uſque tempore, genua non flectebant. Germanus, in Hiſt. Eccleſ. Τὸ *μὴ κλίνειν γόνυ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας κυριακῆς, σημαίνει τὴν τῆς κατὰ πτώσεως ἡμῶν ἀνόρθωσιν, γενομένην διὰ τῆς τριημέρου τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως.* Lucas Patriarcha, in Sancitis. Οἱ *ἀποστολικοὶ κανόνες κολάζουσι τὸν ἐν τῷ τυχόντι σαββάτῳ, ἢ κυριακῇ, γονυκλιτοῦντα, ἢ νηστεύοντα.* Et iſte hoc amplius indicat; non licuiſſe quovis ſabbatho, aut dominicâ. Tertullianus, De cor. mil. *Die dominico, jejunium nefas ducimus, vel de geniculis adorare. Eâdem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſten uſque gaudemus.* Videantur quoque Quæſtiones Monach. Conſtantinop. & Balſamon, in Commentario. In Paraſceve verò, neq; oſculum alicui

dabant

dabant. Berno, De Reb. ad Miſſam Spectantib. cap. VII. *Etiam in paraſceve genua non flectimus, pro perfidis Judæis, qui illudendo genua flectebant coram Deo; ne videamur illos imitari, qui opus bonum ſtudebant malè operari; quemadmodum tunc ab oſculo abſtinemus, propter Judæ traditoris exemplum; qui, per ſimulatæ pacis oſculum, tradidit Dominum Jeſum Chriſtum.* Obſervabant autem ad tempus uſque Pentecoſtes, ut initio dixi. Germanus, loco citato. Τὸ δὲ μέχρι τῆς πεντεκοστῆς μὴ κλίνειν γόνυ, ἐστὶ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας μετὰ τὸ ἅγιον πάσχα ἐπιπλουμένας κρατεῖν τῇ διακινησίμῳ. Sed legendum eſſe, τῇ διακαινισίμῳ, docui in Gloſſario Græcobarbaro. Capitul. Carolin. Addit. I. cap. LI. *In hebdomadâ Pentecoſtes non flectantur genua, & non jejunetur, niſi ſtatuti fuerint dies.* Balſamon, ad Can. LXVI. in Trullo. ὡς μία κυριώνυμος ἡμέρα λογίζεται κατὰ πάντα ἡ μετὰ τὴν ἁγίαν ἀνάστασιν τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τρέχουσα ἑβδομάς. κατὰ δὲ τὸ γόνυ κάμπτειν, καὶ ἡ ὅλη πεντεκοστή. Ambroſius, ſerm. LXI. *Per hos quinquaginta dies, nobis eſt jugis, & continuata, feſtivitas; ita ut hoc omni tempore neque ad*

*obſervandum indicamus jejunia; neque, ad exorandum dominum, genibus ſuccidamus.*

## CAPUT XXV.

### *Val. Maximus, & Baſilica emendantur.*

IN Prologo Valerij. *Pop. Rom. exterarumq; gentium facta, ſimul ac dicta, memoratu digna, quæ apud alios latiùs diffuſa ſunt, quàm ut breviter cognoſci poſsint, ab illuſtribus electa auctoribus, deligere conſtitui.* Juſto Lipſio, v. cl. diſplicet hæc geminatio, *electa deligere:* itaq; prius expingit. Ego cum illo geminationem non fero; ſed, pace viri, neque illius correctionem. Vide annon certior noſtra conjectura ſit. *ab illuſtribus electa auctoribus digerere conſtitui.* Tranſeo ad Baſilic. Eclog. LVIII. *χωρὶς βασιλικῆς ἐπιτροπῆς ϛερω νιμίον ἢ ϛοὰν περικλείσας, ἀποδιδότο τȣ̃το.* Eruditiſsimus Leunclaius, & patriæ ſuæ ingens ornamentum, tentat *ϛενωπὸν, ἢ ϛοὰν.* Reſcribendum ego cenſeo: *ϛενορύμιον, ἢ ϛοὰν.* Conſidera mihi ductum literarum, & aſſentieris.

## CAPUT XXVI.

### *Σκάφευσις Perſarum. Ἀρταῖοι Eunapius emendatur.*

De

DE Scaphiſmo Perſarum, locus elegans eſt, apud Eunapium, in Maximo. *μικρὰ γὰρ καὶ ἡ Περσῶν λεγομένη σκάφευσις. καὶ οἱ γυναικεῖοι τῶν ἀρτάβρων ἀλισμοὶ πρὸς ἐπιφερομένας ὀδύνας τῷ σώματι.* Sed mendoſum eſt illud *τῶν ἀρτάβρων.* Tzetzes, Var. Hiſt. Chil. x. de hoc ipſo ſupplicio.

*εἰ οὖν ὑπέστη σκάφευσιν περσῶν καὶ τῶν ἀρτάβρων,*
*εἴ τέ τι δυσχερέστερον ἄλλο παθῶν τι πάθος.*
*ἔγνωκεν ἂν βαρύτατον μελέτων τυραννίδος.*

Ita editur, at cum mendo Typographico: hoc inde eſt animadvertere, quod interpres vertit, Artæorum. Ergo *τῶν Ἀρταίων* ſcripſit Tzetzes: atq; hoc rectum ſine dubio, reſcribendumq; in Eunapio. Confirmat Heſychius. *Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις.* Et exaggerat *ἀντίθεσις* iſta Eunapiana, *οἱ γυναικεῖοι ἀλισμοὶ τῶν Ἀρταίων.* Hoc porrò ſupplicij genus pleniſsimè deſcribit Plutarchus, in Artoxerxe. Illic vide.

## CAPUT XXVII.

### Epiſtolæ. *Plautus illuſtratus. Heſychius correctus.*

APud Plautum Pœnulo, Sc. *Satis ſpectatum.*
— *bibitur, eſtur, quaſi in popinâ, haud ſecus.*

*Ibi tu videas literatas fictiles epiſtolas,*
*Pice ſignatis nomina inſunt cubitum longis literis.*
*Ita vinariorum habemus noſtræ delectum domi.*

Ubi, ut de doctorum hominum explicationibus nihil dicamus, per *literatas epiſtolas* intelligit pocula, quæ γραμματικὰ ποτήρια veteres appellabant, ut diſcimus ex Athenæo. Eadem uno verbo ἐπιςολαὶ dicebantur, quod doctiſsimus talium Plautus expreſsit. Heſychius. Γητικὰ παρ' Ἀλεξάνδρῳ ἐπιςολαὶ, ποτήρια οὕτω καλούμενα. Ita ſcribo, non καλουμέναι.

## CAPUT XXVIII.

*Tiberius veſte peculiari milites inſignit, ablatâ purpurâ, quam in lænis geſtare ſolebant.*

TIberius, non monſtrum illud Romanum, ſed Conſtantinopolitanus, & bonus, Imperator, milites aliquot peculiari veſte ſuâ, & nomine, inſignivit. Cedrenus narrat. Ὁ δὲ βασιλεὺς, ἀγορεύσας σώματα ἐθνικῶν, κατέςησε ςράτευμα εἰς ὄνομα ἴδιον, ἀμφιάσας, καὶ καθοπλίσας, αὐτοὺς, χιλιάδας πεντεκαίδεκα. Sed de numero non convenit Zonaras, Annal. III. & χιλιάδας δώδεκα tantùm

tùm ſtatuit. Erit orta confuſio ex negligentiâ numerorum ιϐ´. & ιέ. Porrò, quod ad veſtitum attinet, ejus meminit quoque alibi Heſychius. Ἐμϐϱόνιον, μικρὸν, ἢ ἀπόρφυρον, ἱμάτιον Τιϐερινὸν. Et obſerva, quod ait ἀπόρφυρον. Nam milites, ſub Imperatoribus Orientalibus, purpuram in lænis geſtabant. Dorotheus, Doctr. 1. *Habet unuſquiſque regi militans purpuram in lænâ ſuâ. Ex quo enim rex purpuram ferre cœpit, omnes ejus milites togulis ſuis purpurea ſigna appoſuere, ut ex his appareat, regios ſeſe eſſe, & regi commilitare.* Ergo purpurea iſta ſigna hi Tiberiani milites non habuerunt.

## CAPUT XXIX.

### *Aſtrampſychus examinatus, & variè emendatus.*

IN poſtremo capite Aſtrampſychum collocabo, & in eo finem Mantiſæ noſtræ.

# ASTRAMPSYCHI

*SIVE*

Ἄνθραξι βαίνειν, ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.
ἆπιν κρατῶν τις, ἀστοχεῖ τῶν ἐλπίδων.
ἀργῶς κινεῖσθαι, δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους.
ἄρθεις νόον, γίνωσκε γῆν ναίειν ξένην.
ἄστρα βλέπειν, κάλλιστον ἀνθρώποις πέλει.
βαίνων δὲ κεράμοις δυσμενῶν βλάβην φύγοις.
βόας θεωρεῖν, εἰς κακὴν πρᾶξιν φέρει.
βότρυς κατέσθειν, ὀμβρικὴν δηλοῖ κλύσιν.
βρονταὶ καθ' ὕπνους ἀγγέλων εἰσὶ λόγοι.
βρῶσις σύκων δείκνυσι φληνάφους λόγους.
γάλα γαληνῶν πρόξενον πέλει τρόπων.
γάλα σκεδάζει δυσμενῶν συμβουλίας.
γελῶν καθ' ὕπνους, δυσφόρους ἕξεις τρόπους.
γέροντα σαυτὸν εἰ βλέπεις, ἕξις γέρας.
γυμνὸς καθεσθεὶς, σῶν ὑπεκστῇ πραγμάτων.
δυσωδίαν νόμιζε τὴν ἀηδίαν.

Per

# ONEIROCRITICON.

## *De Somniorum Judiciis.*

PEr prunas incedere, damnum ab inimicis ſignificat.

Apem habens aliquis fruſtratur ſpe ſuâ.

Segniter moveri, calamitoſa efficit itinera.

Elatus animo, ſtatue peregrinam terram tibi eſſe incolendam.

Aſtrorum conſpectus optimus hominibus eſt.

Incedens per teſtas, inimicorum damnum fugias.

Boves in ſomnis videre ſignificat malum.

Uvas comedere, imbris ſignificat inundationem.

Tonitrua in ſomnis ſunt angelorum ſermones.

Eſus ficuum ſignificat futiles ſermones.

Lac tranquillorum index eſt morum.

Lac diſsipat inimicorum conſilia.

Ridens in ſomnis, difficiles habebis mores.

Senem te eſſe ſi vides, habebis honorem.

Nudus ſedens, tuis cedes bonis.

Graveolentiam exiſtimato moleſtiam.

εἰ θυμιᾷ σέ τις, πικρὸν τὄναρ τόδε.
ἔκδηλός ἐστι βόρβορος ψυχῆς ῥύπος.
ἐχθροῖς συνέσθειν, εἰς συναλλαγὰς φέρει.
ἔυχρηστον ἀνδρὶ συμπλακῆναι φιλτάτῳ.
ἐκκλησίαις ἑστῶσιν ἔγκλησιν φέρει.
ζώνη κοπεῖσα τὴν ὁδὸν λύει ταχύ.
ἥλους κρατῶν τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν βλέπεις.
θάλατταν εἰδεῖν μειδιῶσαν, ἔυθετον.
θανὼν καθ' ὕπνους, δυσφόρους ἕξεις τρόπους.
θρίδακας ἔσθειν, σωμάτων δηλοῖ νόσον.
ἰλὺν πεπλευκὼς τοῦ νόει βλάβην.
ἵππους μελαίνας οὐ καλὸν πάντως βλέπειν.
ἵππων δὲ λευκῶν ὄψις ἀγγέλων
φράσις.
καλὸν πέτεσθαι, πράξεως καλῆς τόδε.
κερδοῖ συνὼν τὴν κερδοσύνην προσδόκα.
κίρκους κατασχών, οὗ θέλοις πάντως τύχοις.
κλαίων καθ' ὕπνους παγχαρὴς πάντως ἔσῃ.
κλασθεῖσα ῥάβδος οὐ καλὸν φέρει πέρας.
κλεῖδας κρατεῖν δὲ, σύνθεσιν δηλοῖ τρόπων.
κλῆμα κρατήσας, ἐγκαλεῖσθαι προσδόκα.

Si quis ſuffitum tibi facit, acerbum id ſomnium eſt.
Lutum manifeſtas animi ſordes notat.
Cum inimicis edere, ad reconciliationem confert.
Perutile eſt virum complecti cariſsimum.
In concione ſtare crimen adfert.
Cingulum diſſectum iter citò diſſolvit.
Clavos tenens ſtimulos inimicorum cave.
Mare videre placidum, opportunum eſt.
Mortuus in ſomnis, curarum eris expers.
Lactucis veſci, corporis denotat morbum.
Si in limo navigaveris, mentis conjice noxam.
Equas nigras videre, omninò non eſt bonum.
Equorum verò alborum viſio, angelorum apparitio eſt.
Bonum eſt volare, actionis probæ hoc ſignum eſt.
Cum lucro verſans exſpecta emolumentum.
Accipitres ſi cepiſti, quod voles conſequeris.
Plorans in ſomnis, lætiſsimus omninò eris.
Fracta virga non fert bonum exitum.
At claves tenere, mores compoſitos declarat.
Palmitem ſi tenueris, criminationes exſpecta.

κόπρῳ καθεσθεὶς, ζημίας ἕξεις τρόπους.
κρυμνοῦ πεσόντα, δυστυχῆ δηλοῖ τύχην.
κυνῶν ὑλαγμὸς ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.
λάκκῳ καθεῖναι σαυτὸν, οὐ καλὸν τόδε.
λαλεῖν καθ' ὕπνους νητρεκὲς τοὔναρ τόδε.
λέοντας εἰδεῖν, δυσμενῶν δηλοῖ μάχην.
λευκὰς ὁρᾷν τὰς σάρκας, εὔθετον λίαν.
λευκὴν στολὴν κάλλιστον εἰν ὕπνῳ φέρειν.
λύκος κεχηνὼς φλυάφους δηλοῖ λόγους.
μάχην μάχαιρα ζωγραφεῖ κρατουμένη.
μητρὶ πλακῆναι, καλὸν ἔστ' ὄναρ τόδε.
μῦς δ' αὖ φανεὶς, ἔνδηλος ἐν τρόποις πέλει.
νεκροὶ βόες, δηλοῦσι τοὺς λιμοῦ χρόνους.
νεκροὺς ὁρῶν, νέκρωσιν ἕξεις πραγμάτων.
νενησμένα κρατῶν δὲ, προσδόκα λύπας.
νῆξις θαλάσσης, ἀγρίας δηλοῖ λύπας.
νῆξις θαλάσσης ἡμέρας, ὄναρ καλόν.
ξηρῶν φανέντων δενδρέων, κενοὶ κόποι.

οἱ μάργαροι δηλοῦσι δακρύων ῥόον.
οἶνος κενωθεὶς ἀγγέων, παύει λύπας.

In fi-

In fimo ſi ſederis, noxios habebis mores.
Præcipitio lapſum eſſe, calamitoſam ſortẽ ſignificat.
Canum latratus hoſtile deſignat damnum.
Lacui immittere ſeſe, non bonum hoc.
In ſomnis loqui, verum ſomnium hoc eſt.
Leones videre, hoſtium indicat pugnas.
Albas videre carnes, valdè commodum eſt.
Veſtem albam in ſomnis ferre, optimum eſt.
Lupus hians ineptos ſignificat ſermones.
Pugnam gladius deſignat arreptus.
Matrem amplecti, bonum eſt ſomnium.
Mus verò conſpectus benignos mores arguit.
Mortui boves ſignificant famis tempora.
Mortuos videns, exitium rerum habebis.
Fila tenens exſpecta moleſta.
Natatio marina ſævos indicat dolores.
Natatio marina interdiu bonum ſomnium eſt.
Cùm aridæ apparuerint arbores, inanes labores erunt.
Margaritæ ſignificant lacrymarum flumen.
Vinum effuſum è vaſis, ſedat moleſtias.

οἶνος ῥυπώδης ἐκτρανοῖ πολλὰς λύπας.
οἴνου μετασχὼν, προσδόκα δεινὰς μάχας.
ὅλμον καθαίρειν, φροντίδων δηλοῖ λύσιν.

ὄρει προσέρπειν, πραγμάτων δηλοῖ βίον.

ὀρῶν ἔλαιον, ἐκφύγῃς πᾶσαν βλάβην.
ὄφεις πατεῖν, τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν λύει.
πᾶσαι δὲ μίξεις πρόξενοι μακρῶν πόνων.
πέδας κρατῶν, κίνδυνον ἐλθεῖν προσδόκα.
περιστερὰς βλέπειν δὲ, προξενεῖ βλάβας.
πέτρᾳ καθεσθεὶς, ἐλπίδας χριστὰς ἔχε.
πηγὴ διαυγὴς, τὰς νοὸς λύει λύπας.
πόδας καθαίρειν φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
πόδας πλατεῖς ἔχοντα, σημαίνει λύπας.
ποδῶν κοπέντων, μηδ᾽ ὅλως ἄρχου τρίβου.
πρήθων τὸ σῶμα, δυσκλεὴς ἔσῃ λίαν.
πῶλον βλέπειν τρέχοντα, μυστικὸν τόδε.
σάρκας μελαίνειν, οὐ καλὸν παισὶν τόδε.
στολὴν φορεῖν μέλαιναν, οὐ καλὴ θέα.

Vinum

Vinum mucidum declarat multas moleſtias.
Vinum ſi hauſeris, exſpecta graves pugnas.
Truncum corporis purgare, ſolutionem curarum ſignificat.
Ad montem arrepere, negotiorum ſignificat difficultatem.
Videns oleum omnem effugies noxiam.
Serpentes calcare, aculeos inimicorum ſolvit.
Omnes congreſſus longos labores conciliant.
Pedicas tenens, periculum venturum exſpecta.
Columbas videre, denuntiat detrimentum.
Saxo inſidens, ſpem bonam concipe.
Fons limpidus animi pellit moleſtias.
Pedes purgare, curarum ſolutionis ſignum eſt.
Pedes latos habere, notat moleſtias.
Pedibus amputatis, nullo modo iter ſuſcipe.
Urens corpus, admodum infamis eris.
Pullum equinum currentem videre, arcanum eſt.
Carnes nigreſcere, non bonum hoc eſt pueris.
Veſtem ferre nigram, non pulchrum eſt ſpectaculum.

στολὴν δ' ἀλουργὸν, εἰς μακρὰν νόσον φέρει.

στολὴν δ' ἐρυθρὰν, εἰς καλὴν πρᾶξιν φέρει.
στολὴν φορεῖν ἄνακτος, ἐλπίδων λύσις.
στρουθὸν κρατῶν φεύγοντα, προσδόκα βλάβην.
στύλον κρατῶν, ἔλπιζε τὴν θείαν χάριν.
σπαθλᾶν μάχαιραν, δυσμενῶν δηλοῖ θλάσιν.

τφῆκες φανέντες δυσμενῶν εἰσὶ βλάβαι.
τείχει καθεσθεὶς, εὐτυχὴς πέλειν δόκει.
τρέχειν καθ' ὕπνους, εὐσθενεῖς ποιεῖ τύχας.
τρίχας καρῶναι, πραγμάτων δηλοῖ βλάβην.
τρίχας πεσεῖν δὲ, κίνδυνον φέρει μέγαν.
τρώγων γλυκεῖα, πικρίας ἕξεις τρόπους.
τυφλὸν γενέσθαι, παγκαλὸν λίαν ἔφυ.
ὕδωρ βλύον κάτωθεν, ἐχθροὺς μηνύει.
ὕδωρ διαυγὲς, μηνύει χρηστὸν τόδε.
ὕδωρ πίνων πηλῶδες, ἐν λύπαις ἔσῃ.
φανεὶς λαγωὸς δυστυχεῖς ποιεῖ τρίβους.
φιλεῖν, ἐγείρει δυσμενῶς μακρὰς μάχας.

At

At veſtem purpuream, in longum morbum conjicit.

Veſtem rubram, honeſtæ actioni confert.

Veſtem ferre regis, ſpei ſolutio eſt.

Paſſerem tenens fugientem, exſpecta noxam.

Columnam tenens, ſpera divinam gratiam.

Gladium confringere, inimicorum ſignificat contritionem.

Crabrones viſi inimicorum ſunt nocumenta.

Mœnibus inſidens, fortunatum te fore putato.

Currere in ſomnis, firmas facit fortunas.

Capillos reſecari, negotiorum notat damnum.

At capillos defluere, periculum affert magnum.

Edens dulcia, acerbis præditus eris moribus.

Cæcum videri omnium optimum eſt.

Aqua ſcaturiens infernè inimicos indicat.

Aquam limpidam ebibere, utile hoc eſt.

Aquam bibens lutoſam, corporis prædicit morbū.

Conſpectus lepus, infelix facit iter.

Oſculari, vel amare, excitat hoſtium diuturnas pugnas.

φλοῖσ-

Φλοισβος θαλάσσης, πραγμάτων δηλοῖ
κλόνον.
Φωστῆρας εἰδεῖν, πραγμάτων δηλοῖ φάος.
χεῖρας καθαίρειν, φροντίδων δηλοῖ λύσιν.
χειρὸς πελασθεὶς κίρκος, ἄρχουσι βλάβη.
χιτὼν ῥαγεὶς ἔῤῥηξε φροντίδων βάρος.
χιὼν φανεῖσα, δυσμενῶν ἔχθρας φέρει.
χρυσὸν κρατῶν, ἄπρακτος ὧν θέλεις ἔσῃ.
χύσις ποταμία δυσμενῶν λύει χαρὰν.
ὠά κρατεῖν, ἔσθειν τε, σημαίνει λύπας.

Δέλος.

Soni-

Sonitus maris, negotiorum ſignificat concuſſionem.

Luminaria videre, rerum ſignificat lucem.

Manus lavare, curarum ſolutionem denotat.

Manu elapſus accipiter, imperantibus noxa eſt.

Tunica diſrupta, rumpit curarum onus.

Nix in ſomnis viſa, hoſtium inimicitias adfert.

Aurum ſi tenueris, infecta erunt quæ vis.

Effuſio fluvij, inimicorum ſolvit gaudium.

Ova tenere, & edere, denotat moleſtias.

FINIS.

# AD ASTRAMPSYCHI ONEIROCRITICON NOTÆ.

Ἀ'ςραμψύχȣ ὀνειροκριτικόν.) Aſtrampſychi hujus mentionem non invenio præterquam apud Suidam, cujus hæc verba. *ἀςράμψυχος, ὅς βιβλίον ἰατρικὸν εἰς ὄνων θεραπείαν πεποίηκε, καὶ Ὀνειροκριτικόν.* Diogenes Laertius in Proœmio. *καὶ μετ' αὐτὸν γεγονέναι πολλȣ́ς τινας μάγως κατὰ διαδοχὴν ὀςάνας, καὶ ἀςραψύχȣς, καὶ γωβρύας, καὶ παζάτας.* Hoc quoq; monendum: penè omnes hos Oneirocriticos verſus apud Suidam diverſis locis inveniri, diſsimulato tamen, quod ille ſolens facit, Auctoris nomine. Nos deprehendimus, & nonnulla utrobiq; hinc inde correximus. Porrò, Onirocritica è veteribus ſcripſere multi, quos ad Artemidorum pag. 2. recenſet eruditiſsimus vir, Nic. Rigaltius, amicus noſter. Præter illos etiam Pappus Alexandrinus. Teſtatur Suidas. *πάππος, ἀλεξανδρεὺς φιλόσοφος, γεγονὼς κατὰ τὸν πρεσβύτερον βασιλέα θεοδόσιον, ὅτε καὶ θέων ὁ φιλόσοφος ἤκμαζεν, ὁ γράψας εἰς τὸν πτολεμαίȣ κανόνα. βι-*

βλία δὲ αὐτῦ. χωρογραφία οἰκυμενική. εἰς τὰ τέσσαρα βιβλία τῆς πτολεμαίυ μεγάλης συντάξεως ὑπόμνημα. ποταμὺς τὺς ἐν λιβύῃ. ὀνειροκριτικά.

*ἄνθραξι βαίνειν.*) Nicephorus, qui paucis immutatis Aſtrampſychum tranſſcripſit verius, quàm ſuum Onirocriticum dedit, habet *ἄνθρακας βλέπειν.* Nihil dicam de ratione verſus, quam neuter magnam habet, tamen Aſtrampſychi lectio melior eſt, eamq; tuetur Suidas. Licet nihilominus Nicephorum etiam defendere, ſi interpretemur de magno igne. Artemidorus lib. II. cap. IX. *πῦρ δὲ τὸ ἐν χρήσει ὀλίγον μὲν καὶ καθαρόν ἰδεῖν, ὑφειμένον λέγω ἀγαθὸν εἶναι. πολὺ δέ, καὶ ἄμετρον, πονηρόν.*

*ἄπιν κρατῶν τις.*) Hunc verſum in Suida non inveni. Nicephorus totum mutuatus eſt.

*ἀργῶς κινεῖσθαι.*) Nicephorus, & Suidas in *ἀργῶς.*

*γυῶ ναίειν.*) Niceph. *τὴν γαῖαν.*

*ἄςρα βλέπειν.*) Suidas in *ἄςρα.* Interpretationem habes apud Achmetem cap. CLXX. Artemid. lib. II. cap. XXXVIII.

*βαίνων δὲ κεράμοις.*) Nicephorus. *βαίνων κεράμοις.* Suidas. *βαίνων κεράμυς, δυσμενῶν βλάβας φύγοις.*

*βόας θεωρεῖν.*) Intellige de armentariis. Artemid. lib. II. cap. XII. *βόες ἐργάται, πᾶσιν ἀγαθοί. ἀγελαῖοι δὲ βόες, ταραχὰς, καὶ περιβοήσεις σημαίνουσι διὰ τὸ ὄνομα, καὶ κίνδυνον.*

*βότρυς κατέσθειν.*) Longè aliter Artemid. libr. I. cap. LXXV. Pro *κλύσιν* Suidas habet *λύσιν*. Reſcribe.

*βροντὰς καθ' ὕπνους.*) Aliter Artemid. libr. I. cap. VI. Iterum II. cap. VIII. Nicephori ſententiam non adſcribimus, cùm ex Aſtrampſycho ille hauſerit.

*γάλα γαλυνῶν.*) Duorum horum verſuum ordinem Suidas invertit. Sed hoc parvi momenti eſt.

*γελῶν καθ' ὕπνους.*) Nicephorus ita mutavit. *γελῶν ἐν ὕπνῳ, δυσφορήσεις ἐξ ὕπνου.*

*γέροντα σαυτὸν.*) Artemid. lib. I. cap. LII. *ἀγαθὸν δὲ καὶ παιδὶ εἰς νεάνισκον, καὶ ἀνδρὶ εἰς γέροντα μεταβαλεῖν. ἕκαστος γὰρ αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἐντιμότερον μετέβαλεν. εἰ δὲ νεάνισκος εἰς γέροντα μεταβάλλοι. τεθνήξεται μὲν οὐχὶ ὡς ὁ παῖς, νοσήσει δὲ.* Ergo ad viros tantûm interpretatio Aſtrampſychi pertinet.

*σῶν ὑπεκστῆ πραγμάτων.*) Apud Suidam eſt, *ὑπεκστῆς.*

*εὔχρηστον ἀνδρί.*) Hunc verſum in Suida non invenio,

*ζώνη*

*ζώνη κοπεῖσα.*) In Zonis veteres crumenas geſtabant. Ariſtophanis Scholiaſtes Ranis. *Τὰ βαλάντια ἐν ταῖς ζώναις ἀπηωρημένα φέρουσιν ἄνθρωποι.* Fuſius hæc tractamus Animadverſ. Miſcell. libr. III. cap. XXV.

*Τὴν ὁδὸν λύει ταχύ.*) Apud Suidam eſt, *τάχος.*

*Τὰ κέντρα τῶν ἐχθρῶν βλέπεις.*) Suidas habet *βλέπε.*

*θάλατταν ἰδεῖν μειδιῶσαν.*) Artemidorus lib. II. cap. XXIII. *ἀεὶ δὲ ἀγαθὸν, ἠρέμα πορφυροῦσαν καὶ κυμαίνουσαν τὴν θάλασσαν ἰδεῖν. πράξεις γὰρ μεγάλας προαγορεύει.*

*θανὼν καθ' ὕπνους.*) Vide Artemid. lib. II. cap. LII.

*δυσφόρους ἕξεις τρόπους.*) Apud Suidam eſt, *φροντίδων ἔσῃ δίχα.* Et ita Nicephorus tranſſcripſit: tueturq; hanc lectionem Artemidorus loco citato. Porrò huic verſui duos alios præmittit Suidas.

*θνῆξις θαλάσσης, ἀγρίας δηλοῖ λύπας.*
*θνῆξις θαλάσσης, ἡμέρας τοὔναρ καλόν.*

*θρίδακας ἔσθειν.*) Artemid. lib. I. cap. LXIX.

*ἰλὺν πεπλευκώς.*) Nicephorus aliter. *ἰλὺν ὑποδὺς, τῆς ψυχῆς βλάβην νόει.* Artemidorus lib. II. cap. XXIII. Aſtrampſychi hæc interpretatur non damna mentis, ſed bona impedita, & vix eventura.

*ἀγγέλων Φράσις.*) Corrige *Φάσις*. Et ſic in Suida eſt.

*καλὸν πέτεσθαι.*) Vide Artemidorum libr. II. cap. LXXIII.

*κερδοῖ συνών.*) Artemid. lib. II. cap. XII. interpretatur inimicum clam inſidias tendentem. Fœdè autem hîc labitur interpres.

*κίρκους κατὰ χῶν.*) Artemid. lib. II. cap. XX. refert ad prædones manifeſtos.

*κλαίων καθ' ὕπνους.*) Artemid. lib. II. cap. LXV.

*σύνθεσιν δηλοῖ τρόπων.*) Nicephorus. *σύνθεσιν ἔχει τόπων.* Malè: tu reſcribe, *τρόπων.*

*ἐχθρικὴν δηλοῖ βλάβην.*) In Nicephoro eſt, *ἐχθρικὸν δηλοῖ κρότον.* Sed Aſtrampſychi lectionem tuetur Suidas.

*λαλεῖν καθ' ὕπνους.*) Suidas confuſè, *ὄναρ καθ' ὕπνους νητρεκὲς λαλεῖν τόδε.*

*λέοντας ἰδεῖν.*) Vide Artemid. lib. II. cap. XII.

*λευκὴν ςολήν.*) Suidas hîc ſubjungit hunc verſum. *λευκοὺς λίνους ἔχοντες αὐχοῦσι μέγα.* Quem licet hîc inſerere, non enim dubium eſt, quin ſit Aſtrampſychi.

*λύκος κεχηνώς.*) Apud Nicephorum eſt, *λάκκος κεχηνώς.* Corrige.

Φλη-

φλυάφους δηλοῖ λόγους.) Suidas. τρόπους. Nicephorus Aſtrampſychi lectionem firmat.

μάχην μάχαιρα ζωγραφεῖ.) Artemid. libr. II. cap. XXXII. μάχαιρα δὲ καὶ ξίφος τὸν θυμὸν τοῦ ἰδόντος σημαίνουσι, καὶ τῶν χειρῶν τὸ ἰσχυρότατον, καὶ τῆς γνώμης τὸ τολμηρότατον.

μητρὶ πλακῆναι.) Artemid. libr. I. cap. LXXXII. Et huc pertinet ſomnium Julij Cæſaris, de quo Suetonius cap. VII. *Confuſum eum ſomnio proximæ noctis (nam viſus erat per quietem matri ſtuprum intuliſſe) conjectores ad ampliſsimam ſpem incitaverunt, arbitrium orbis terrarum portendi interpretantes.*

μῦς δ' αὖ φανεὶς.) Artemid. lib. III. cap. XXVIII.

ἔνδηλος ἐν τρόποις πέλει.) Apud Suidam eſt, ἔνδολος. Malè. Nicephorus. δῆλον ἐμποιεῖ τρόπον.

νεκροὶ βόες.) Sumptum ex interpretatione Joſephi, quæ eſt in S. Scripturâ. Tamen illic eſt de macris, non de mortuis.

νεκροὺς ὁρῶν.) Aliter explicat Artemidorus lib. II. cap. LXII. Hunc videas, ſi tanti cenſes.

νενησμένα κρατῶν) Suid. κρατεῖν.

νῆξις θαλάσσης.) Duorum horum verſuum idem initium eſt. Apud Suidam θυνῆξις legitur. Sed ego

ego in priori *νῆξις*, in poſteriori *θνῆξις* ſcribendum cenſeo, pro ratione interpretationis. Natans ſive fluctuans mare convenit doloribus, mortuum autem, ſive placidum actranquillum è contra bonum ſomnium portendit.

*ξηρῶν φανέντων δενδρέων.*) Artemidorus aliter interpretatur lib. IV. cap. XII.

*οἱ μάργαροι.*) Refer ad viros. Nam ſi fœminæ viderint, alia eſt ſignificatio. Vide Artemidorum lib. II. cap. V. In Suida porrò eſt, *μαργαρῖται δηλοῦσι*: ut & in Nicephoro.

*οἶνος κενωθεὶς ἀγγέων.*) Suidas interpunctione laborat.

*ὅλμον καθαίρειν.*) Suid. *ὅλον.* Atque hoc prætulerim.

*ὄρη προσέρπειν.*) Artemid. lib. II. cap. XXVIII.

*ὄφεις πατεῖν.*) Artemidorus lib. II. cap. XIII. *ὄφις δὲ νόσον σημαίνει, καὶ ἔχθραν ἐπάγει. ὅπως δ' ἂν διαθῇ τινὰ, οὕτω καὶ ἡ νόσος καὶ ὁ ἐχθρὸς τὸν ἰδόντα διαθήσουσιν.*

*πρόξενοι μακρῶν πόνων.*) Suid. *πόθων.* Et rectius.

*πέδας κρατῶν.*) Suidas, *παῖδας*. Sed hoc mendum eſt; & corrige. Artemidorus lib. II. cap. LII. *πέ-*

*δαι κατοχῆς καὶ ἐμποδισμοῦ εἰσὶ σημαντικαὶ, καὶ νόσου, διὰ τὸ καθεκτικὸν.*

*περιστερὰς βλέπειν δὲ, πρηξενεῖ βλάβας.*) Sic Suidas quoque. Tamen planè contra Nicephorus. *περιστερὰν βλέπων τις μηνύει χαρὰν.* Et interpretationem illam firmat Artemid. libr. II. cap. XX. *σημαίνουσι δὲ περιστεραὶ καὶ τῶν ἐν τοῖς πρασσομένοις ἐπαφροδισίαν, διὰ τὸ ἀνακεῖσθαι τῇ ἀφροδίτῃ. καὶ πρὸς φιλίας δὲ καὶ κοινωνίας, καὶ συναλλαγὰς πάσας, εἰσὶν ἀγαθαὶ, διὰ τὸ συναγελαστικὸν αὐτῶν.* Eadem eſt interpretatio Achmetis c. CCXCIII.

*Ἰὰς νοὸς λύει λύπας.*) Suid. *Ἰάς νηὸς.* Sine dubio mendosè. Niceph. *ψυχικὰς λύει λύπας.*

*μηδ' ὅλως ἄρχου τρίβου.*) Nicephorus. *μηδαμῶς ἄρχε βίου.* omnino corruptè.

*οὐ καλὸν παισὶν τόδε.*) Suid. *πᾶσι.*

*οὐ καλὴ θέα.*) Suid. mendosè. *οὐκ ἀληθέα.* Vide Artemid. l. II. c. III.

*στρουθὸν κρατεῖν.*) Achmes. c. CCCI.

*συνθλᾶν μάχαιραν.*) Suid. *μαχαίρας.*

*Τεῖχει καθεσθεὶς.*) Artemid. lib. II. cap. XIII.

*Τρέχειν καθ' ὕπνους.*) Artemid. lib. I. cap. LX. *τρέχειν δὲ δρόμον ἁπλῶς πᾶσιν ἀγαθὸν.*

*Τρίχας καρῶναι.*) Vereor ne tonſuram & raſionem confundat. Vide Artemid. lib. I. cap. XXIII.

*Τυφλὸν φανέσθαι.*) Planè contraria interpretatio eſt Artemid. lib. I. cap. XXVIII.

*λίαν ἔφυ.*) Suid. *πέλει λίαν.*

*ὕδωρ βλύον.*) Suid. *βλύζον.*

*μινύει.*) Suid. *ἐλπίνειν.*

*φανεὶς λαγωὸς.*) Suid. *φανεὶς ὁ λαγὼς.*

*δυςυχεῖς ποιεῖς τρίβους.*) Artemid. libr. IV. cap. LVIII. *τὰ δειλὰ, καὶ ἀνελεύθερα, δειλοὺς ἢ δραπέτας παριςῶσιν. ὡ ἔλαφος, λαγὼς, κύων.* Aliter Achmes CCCLXXVIII.

*φιλεῖν ἐγείρει.*) Artemid. lib. II. cap. II.

*φλοῖσβος θαλάσσης.*) Artemid. lib. II. cap. XXIII.

*φωςῆρας ἰδεῖν.*) Vide Artemid. lib. I. cap. LXXVI. & lib. II. cap. IX.

*ὠὰ κρατεῖν.*) Artemid. lib. II. cap. XLVIII.

*ποταμία δυσμένων λύει.*) Suid. aliter. *ποταμοῦ δυσμενῆ δηλοῖ κάραν.*

# FINIS.

# INDEX
# RERUM ET VERBORUM
## MAXIME MEMORABILIUM.

### *IN QUO*

Litera L. librum de Luxu; M. Mantiſam; numerus verò capita deſignat.

## A.


ABnutivum. *M. 13.*

*Acipenſerem menſis inferebant miniſtri coronati, & ad tibiæ cantum. L. 14.*

*Aditiales cœnæ, & earum impenſæ. L. 13.*

Adnutivum. *M. 13.*

*Ædium cuſtodiæ nocturnæ. L. 1.*

*Ægyptij per Oſirin jurabant. M. 13.*

*Africæ dimidium à ſex dominis poſſeſſum. L. 1.*

*Agrorum modus quis, & à quo conſtitutus. ibid.*

*Amiſſa inquirendi mos. M. 22.*

*Annulorum luxus. L. 5.*

*Anterotis legatum, ad epulum annuum. L. 16.*

*Apicij opes. L. 1. & prodigalitas. L. 2.*

Ἀπώμοτος. *M. 13.*

*Arborum è pomariis ædium pretia. L. 12.*

Ἀρτάιοι. *M. 26.*

*Aſinius celer quanti emerit mullum. L. 14.*

*Attilius Regulus quantum poſſederit. L. 1.*

*Aucupũ in provinciis cohortes. L. 15*

Augeri manes, *quid ſit. M. 17.*

*Auguſtus exulum opes reſtrinxit. L. 1. & faſtigia ædium. L. 12.*

*Aviariorum magnitudo. L. 15.*

*Avium deliciæ L. 15. & earum partes ſelectæ. ibid.*

*Aurelianus primus vehicula argentea dedit. L. 11.*

Aureus *vitæ. M. 19.*

*Aurum vaſis illigatum. L. 17.*

*Axius quanti vendiderit par columbarum. L. 15.*

B.

*Baccho ſuſpendi ſolitæ Tragœdorum perſonæ. M. 11.*

*Bacchus furoris præſes. M. 3.*

*Braſſica juramentum Jonum. M. 13.*

*Byzantij jurabant per nummos ferreos. ibid.*

C.

*Cacabos argenteos quis primus habuerit. L. 7.*

*Caligulæ prodigalitas. L. 2.*

*Candelabra argentea. L. 8. & eorum pretia. ibid.*

*Capilli nigri in laude. M. 21.*

*Carcerum januæ demiſſæ. M. 15.*

*Carrucarum pretia. L. 11.*

*Caruilius Pollio primus lectos aureos fecit. L. 10. primus tricliniis argentum addidit. ibid.*

*Caſina Plauti unde dicta. M. 17.*

Κατωμοτ⸗. *M. 13.*

*Cellariorum magnitudo. L. 12.*

*Ceres furoris præſes. M. 3.*

*Cetronij valdè altæ ædes. L. 12.*

*Cincinnatus quantum poſſederit. L. 1.*

*Claudij Iſidori divitiæ. ibid. ejus funeris impenſæ. 16.*

*Cleopatræ unio. L. 5.*

*Cn. Lentuli divitiæ. L. 1.*

*Cœnæ aditiales, & earum impenſæ. L. 13.*

*Cohortes aucupum & venatorum. L. 15.*

*Columbarum pretia. L. 15. ibid.*

*Columnarum capita deaurata. L. 12. ipſæ marmoreæ. ibid. earum longitudo, multitudo, pretia. ibid.*

*Coma in gradus frangi ſolita. L. 3. & unguento delibuta. ibid.*

*Comitatus virorum, & matronarum. L. 8. ejus multitudo, ornatus, ordo. ibid. hic inſtituebatur à præfectis familiæ: ibid. & inſignia eorum virgæ. ibid.*

*Conchyliatarum veſtium luxū temperavit Julius Cæſar. L. 4.*

*Conquiſitores rei amiſſæ prætor dabat. M. 22.*

*Conviviorum apparatus, & oſtentatio. L. 13. impenſæ. ibid. miniſtrorum in iis multitudo, & ordo. ibid.*

*Coquorum pretia. L. 13.*

Cornua. *M. 20.*

*Corona pudicitiæ. M. 10.*

*Corpus levigari ſolitum. L. 3.*

*Craſſi divitiæ. L. 1.*

*Craſſus murænam luxit. L. 14.*

*Crepidarum vincula aurea. L. 5.*

*Criſpi divitiæ. L. 1.*

*Crux*

*Crux impoſita globo terreſtri quid ſibi velit. M. 8. & unde originem ſumpſerit. ibid.*
*Cubiculorum fontes. L. 12.*
*Culinarum magnitudo. ibid.*
*Cultrorum duo genera. M. 23.*
*Curionis filij prodigalitas. L. 2.*
*Cuſtodes ædium nocturni. L. 1.*
*Cuſtodes in conviviis appoſiti gemmis poculorum. L. 8.*

D.

*Doctores ſuſpendendi gradus. L. 3.*
Dolabræ. *M. 23.*
Domatis. *M. 1.*
*Domorum magnificentia, & pretia. L. 12.*
*Dos matronarum quanta. L. 1.*
*Druſillani lances quingentarum librarum. L. 7.*

E.

*Echinorum deliciæ. L. 14.*
Epiſtolæ, *inter pocula. M. 27.*
Ἐπώμοτος. *M. 13.*
Eſpectare. *M. 4.*
*per Evangelia jurabant. ibid.*
*Exulum opes. L. 1. ab Auguſto reſtrictæ. ibid.*

F.

*Facies fucari ſolita. L. 3.*
*Feminæ pudicæ ſemel tantùm nubebant. M. 10.*
*Feminarum per ſingula membra ornatus. L. 5.*
*Familiæ præfecti. L. 6. eorum munus. & inſignia. ibid.*
*Faſtigia ædium coërcuit Auguſtus. L. 12. mox Nero. ibid. inde Trajanus. ibid.*
*Ferculorum numerus. L. 13. & eorum quandoque impenſæ. ibid.*
*Feſtum Imperatoris nati, & coronati. M. 16.*
*Figuli ſepulcrum. L. 16.*
*Flabella qualia. L. 5.*
Flaminium. *M. 1.*
*Funerum luxus. L. 16.*
*Furoris præſides dij. M. 3.*

G.

*Gemmæ in ambitu menſarum. L. 9.*
*Genua quibus diebus in Eccleſiâ non flexerint. M. 24.*
Γοργόνες. *M. 12.*
*Grammaticorum error. ibid.*
Gurgites. *ibid.*

H.

*Heliogabali convivia. L. 13.*
*Heliogabali uxor luxum margaritarum moderatur. L. 5. de vehiculis leges facit. L. 11.*
*Heliogabalus primus uſus eſt veſte boloſericâ. L. 4.*

*Heliogabalus primus habuit cacabos argenteos.* L. 7. *primus itē menſas argenteas.* L. 9. *primus toralia aurea adhuc privatus.* L. 10. *in convivio dedit fercula viginti duo.* L. 13.
*Hirrius ex ædificiis circum piſcinas quantum ſingulis annis perceperit.* L. 12. *ejus villa quanti vendita. ibid. quantum quotannis piſcinis impenderit.* L. 14.
*Holoſericæ veſtis uſus quando inceperit.* L. 4.
*Hortenſius primus in convivium pavones intulit.* L. 15.

I.

*Januæ carcerum demiſſæ. M. 15. & tenuiorum. ibid.*
*Ignem tranſeuntes, & laminam tenentes jurabant. M. 13.*
*Imperatoris nati feſtum. M. 16. item coronati. ibid.*
*Inaurium pretia.* L. 5.
*Inquirendi amiſſa mos. M. 22.*
*Inquiſitores piſcium fugitivorum,* L. 14.
*Jones per braſſicam jurabant. M. 13.*
*Jugera duo olim divitiæ erant.* L. 2.
*Julij Cæſaris æs alienum.* L. 2.
*Julius Cæſar legem de pecuniæ modo revocat.* L. 1.
*Julius Cæſar ſolum fori quanti emerit. L. 2.*
*Julius temperat luxum veſtium conchyliatarum. L. 4.*
*Julius abuſum margaritarum temperat. L. 5. quanti ipſe margaritam emerit. ibid.*
*Juncturæ pretioſiſſimæ. L. 11.*
*Juramenta veterum varia. M. 13.*
*Jusjurandum per ipſum jurabatur. ibid.*

L.

Laborum. *M. 1.*
*Lacernarum pretium. L. 4.*
*Laminam ferri tenentes jurabant. M. 13.*
*Lampridius emendatur. L. 13.*
*Lancium magnitudo, & pondus. L. 7.*
*Laquearia è marmore. L. 12. etiam inaurata. ibid. & unde initium rei. ibid.*
Larinum *pecus. M. 6.*
*Lecti quales. L. 10. & eorum pedes. ibid.*
*Lepidus primus limina è marmore poſuit. L. 12.*
*Lex Fuſia Caninia, eaq; poſteà ſublata. L. 16.*
*Lex Syllæ, de ſumptu funerum: eaque ab ipſo violata. ibid.*

*Lex*

*Lex de modo agrorum, & pecuniæ.* L. 1.
*Libri patrimoniorum. ibid.*
*Licinij lex de modo agrorum. ibid.*
*Limina ædium marmorea.* L. 12. *& quis ea primus ſtraverit. ibid.*
*Linearum pretia.* L. 5.
*Lolliæ Paulinæ ornatus quanti æſtimatus.* L. 15.
*Lucernæ argenteæ.* L. 8.
*L. Axius quanti vendiderit par columbam.* L. 15.
*L. Craſſus murænam luxit.* L. 15.
*Luculli extemporanea cæna quanti conſtiterit.* L. 13.
*Luculli piſcina quanti vendita.* L. 14
*Luna furoris præſes. M. 3.*
*Lupus Tiberinus, & is inter duos pontes captus, in deliciis.* L. 14.

M.

*Mamillarum ornamenta. M. 5.*
*Mamurra parietes marmore primus induxit.* L. 12.
Manduci. *M. 12.*
*Manuel Comnenus diem nativitatis & coronationis ſuæ vetat inter feriatos haberi. M. 16.*
*M. Scaurus quantum poſſederit.* L. 1.
*Margaritæ à Julio Cæſare quanti empta.* L. 6.
*Margaritæ etiam ſub pedibus geſtatæ. ibid. earum abuſum temperavit Julius ibid.*
Μὰ τὸν, *juramenti genus. M. 13.*
Matricularius. *M. 1.*
*Matulæ ex auro, & argento.* L. 7.
*Megullia cur* Dotata *dicta.* L. 1.
*Menſæ quales.* L. 9. *& earum pretia. ibid. quis primus argenteas habuerit. ibid.*
*Metellus quanti tricliniaria vendiderit.* L. 4.
*Milites in lænis purpuram geſtabant. M. 28.*
Minare. *M. 18.*
*Moriones quanti empti.* L. 6.
*Mularum pretia.* L. 10.
*Mulieres à viris ſeorſim cubabant. M. 14.*
*Mullorum quæ deliciæ.* L. 14. *etiam pretia. ibid.*

N.

*Narciſſi divitiæ.* L. 1.
*Nemora in faſtigiis domorum.* L. 12
*Nero quanti emerit tricliniaria. mulabus ſuis dedit ſoleas argenteas.* L. 11. *faſtigiis ædium modum poſuit.* L. 12. *ejus domus* Aurea. *ibid.*
*Nomina piſcibus impoſita.* L. 14.
*Nonij Senatoris annulus.* L. 5.

*Nota-*

*Notarij ad menſam adſtabant, qui pondera piſcium in pugillares ſuos referrent. L.14.*
Nucarium *unguentum. M.21.*
*Nummi ferrei juramentum Byzantiorum. M.13.*
*Nuptiæ ſecundæ ſine celebritate ferè tranſactæ. M.10.*
*Nux ad remedia capillorum. M.21.*

O.

*Octavius quanti mullum emerit. L.14.*
*October dictus Domitianus. M.16.*
*Officinæ odorariorum. L.3.*
*Ὀμνύειν. M.13.*
*Orata primus oſtreis Lucrinis primas attribuit. L.14.*
*Ὅρκος μέγας. M.13.*
*Oſtreorum deliciæ. L.14. aperiebãtur in ipsâ mensâ. ibid. Lucrinis quis primas detulerit. ibid.*
*Ova pavonina in quo pretio. L.15.*

P.

*Pane faciem linere mos. L.3.*
*Parietes marmore inducti. L.12. & quis primus fecerit. ibid. etiam inaurati. ibid. & unde rei initium. ibid.*
*Patinæ Æſopi, & Vitellij quanti conſtiterint. L.13.*
*Pavimenta è marmore. L.12.*
*Paraſceves die genua non flectebant. M.24.*
*Pavones quis primus in convivium intulerit. L.15. eorum pretia. ibid. & ovorum. ibid.*
*Pecuniæ modus poſſidẽdæ quis. L.1.*
*Pedis menſarum quales. L.9.*
*Pedis offenſio mortis inſtantis omen â ſuperſtitioſis putabatur. M.9.*
*Pentecoſtes tempore genua non flectebant. M.24.*
*Pappus Onirocriticon ſcripſit. M.29*
*Perſarum σκάφδωσις. M.4.*
*Perſonæ Tragœdorum Baccho ſuſpendi ſolitæ. M.11.*
*Petronij trulla murrina. L.8.*
*Φοινικίδια. M.5.*
*Piſcibus nomina impoſita. L.14. & inquiſitores fugitivis appoſiti. ibid.*
*Piſcinarum reditus. ibid.*
*Piſcium in convivio magnus numerus. ibid. qui ponderabantur in ipsâ mensâ adſtantibus notariis. ibid.*
*Pocula è variâ materiâ. L.8. gemmata. ibid. magna. ibid. & eorum pretia. ibid.*
*Pollio primus lectos aureos habuit. L.10.*
*Pomi arboris unius reditus annuus. L.12.*

**Poma-**

*Pomaria in faſtigiis turrium. L.12.*
*Poppea jumentis delicatioribus ſoleas aureas dedit. L.11.*
Portiſculus. *M.1.*
*Poſidis altiſſimæ ædes. L.12.*
*Poſtes januarum marmorei. L.12. & deaurati. ibid.*
*Præfecti familiæ. L. 6. eorum munus, & inſignia. ibid.*
*Prætor dabat rei amiſſæ conquiſitores. M. 22.*
*Pronubæ capiebantur univiræ, & cur. M.10.*
*Provincialis aliquis quantum dederit, ut intereſſet cœnæ Caligulæ. L.13.*
*Pudicæ mulieres ſemel tantùm nubebant. M.10.*
*Pudicitiæ ſignum bis nuptis tangere nefas. ibid.*
*Purpura in lænis militum. M. 28.*
*Purpuræ pretium. L.4.*
*Pythagorici per numerum quaternarium jurabant. M.13.*

R.

Rediculum. *M.20.*
*Reſurrectionis die genua non flectebant. M.24.*

S.

*Salarium Tribunorum. L. 8.*
Salinum terebrare, *quid ſit. M.26.*
Σκάφδωσις *Perſarum. M. 26.*
*Schaphia ex auro argentoque. L.7.*
*Scipionis filiabus quantam dotem dederit Senatus. L. 1.*
*Scyphi duo L. Craſſi. L.8.*
Seceſpitæ. *M. 20.*
Secures. *M. 23.*
*Senecæ divitiæ. L.1.*
*September dictus Germanicus à Domitiano. M.16.*
*Sergius orata primus Lucrinis oſtreis primas tribuit. L.14.*
*Sericarum veſtium tenuitas. L.4. earum uſum viris quis interdixerit. ibid.*
*Servorum pretium. L.16.*
*Severus luxum margaritarum moderatur. L.5.*
*vehicula argentata ſolis Senatoribus permittit. L.11.*
*Silvæ in faſtigiis ædium. L.12.*
*Socculorum vincula aurea. L.5.*
*Socrates per canem jurabat. M.13.*
*Speculorum magnitudo, & pretia. L.5.*
*Stragulæ veſtes pretioſiſſimæ, & odoribus infectæ. L.10.*
*Supellectilis impenſæ. L. 7.*
*Superſtitio veterum de offenſo pede. M.9.*
*Syracuſanorum magnum jusjurandum quale. M.13.*

T.

*Theatrum Curionis. L. 16.*
*Tiberinus lupus in deliciis. L. 14.*
*Tiberius ſericarum uſum viris interdixit. L. 4. vaſorum aureorum luxum coërcet. L. 7. veſte peculiari ornat milites à ſe inſtitutos. M. 28.*
*Tigellij prodigalitas. L. 2.*
*Toralia aurea quis habuerit primus L. 10.*
*Trabes auratæ. L. 12.*
*Tragædi perſonas ſuas Baccho ſuſpendebant. M. 11.*
*Trajanus ædium faſtigiis modum ponit. L. 12.*
*Tribunorum ſalarium. L. 8.*
*Tricliniis quis primus argentum addiderit. L. 10.*
*Tricliniarium veſtium pretium. L. 4.*
*Trullæ cryſtallinæ ingens pretium. L. 8.*
*Trulla murrina Petronij. ibid.*
Tubæ. *M. 20.*
*Turdorum inter aves primæ deliciæ L. 15. item pretia. ibid.*

V.

*Vaſa argentea, mox auro illigari cœpta, inde aurea. L. 7. eorum uſum coërcuit Tiberius. ibid. menſalium magnitudo, & pondus. ibid.*
*Vehicula varia. L 11. argentata ſolis Senatoribus permiſit Severus. ibid. argentea primus dedit Aurelianus. ibid.*
*Venatorum cohortes in provinciis. L. 15.*
*Veri convivium quanti conſtiterit L. 13.*
*Veſtes preſſæ ut niterent. L. 4. earum multitudo, & oſtentatio. ibid. item pretia. ibid.*
*Viri à mulieribus ſeorſim cubabant. M. 14.*
*Vitellij convivia quanti conſtiterint. L. 13. quanti patina una. ibid.*
*Umbracula qualia. L. 5.*
*Unguentum nucarium. M. 21.*
*Uniones etiam ſub pedibus. L. 5.*
*Uſurarum mutatio. L. 1.*

Z.

*Zeno per capparim jurabat. M. 13.*

FINIS.

INDEX

# INDEX AUCTORUM,

## Qui hic citantur;

*Numerus fol. deſignat.*


A.

Achmes. 147.153.154.
Aldhelmus. 89.
Alphinus JC. 40.
Ambroſius. 129
Ammianus. 15.16.25.26.
27.28.44.48.65.
Apollonius Tyaneus. 99.
Appianus. 9
Apuleius. 99.127.
Ariſtænetus. 126.
Ariſtophanes. 109.113.114.
Artemidorus. 146.147.
148.149.150.151.152.
153.154.
Aſterius. 37.40.41.51.
Aſtrampſychus. 133.146.
147.150.
Athenæus. 27.103.113.132.
Aulus Gellius. 96.
Aurelius Victor. 55.

B.

Balſamon. 128.129.
Baſilica. 116.119.130.
Berno. 129.

C.

Cajus JC. 80.
Callimachus. 115.
Cantacuzenus. 116.
Capitolinus. 34.44.49.
52.59.
Capitula Carolina. 129.
Catullus. 13.
Cedrenus. 132.
Cicero. 35.37.86.
Codex Juſtiniani.22.24.44.
Codex Theodoſij. 119.
Codinus. 105.
Columella. 71.75.81.

D.

Demetrius Triclinius. 115.
Didymus. 112.
Diogenes Laërtius. 102.105.
114.117.146.
Dion Caſſius. 2.3.5.6.18.33.
Dorotheus. 133.

E.

Etymologici Auctor. 101. 116

Eunapius. 131.

Euſebius. 20.

F.

Feſtus. 102. 107. 110. 121. 122. 123. 124. 128.

G.

Gaudentius. 20. 44.

Germanus. 128. 129.

Gloſſæ Latinogræcæ. 116.

Gotfridus Viterbienſis. 105.

H.

Harmenopulus. 117.

Harpocration. 116.

Herodotus. 115.

Heſiodus. 111.

Heſychius. 113. 131. 132.

Hieronymus. 20. 22. 24. 46.

Homerus. 111.

Horatius. 8. 13. 27. 70. 74. 80

I.

Inſcriptiones veteres. 84. 85. 107.

Interpres Juvenalis. 2. 35.

Ioannes Theologus. 90.

Ioannes Tzetzes. 131.

Iſidorus Hiſpalenſis. 95.

Julius Paulus J.C. 80.

Juvenalis. 5. 7. 13. 14. 26. 30. 34. 35. 38. 39. 41. 48. 52. 60. 65. 67. 68. 69. 72. 81. 110. 121.

L.

Lampridius. 18. 24. 25. 30. 40. 41. 42. 43. 59. 60.

Latinus Pacatus. 35. 69. 76. 104.

Libanius. 114.

Livius. 6. 96.

Lucas Patriarcha. 128.

Lucianus. 111.

Lucilius. 70.

M.

Macrobius. 64. 68. 69. 71.

Manilius. 19. 24.

Manuel Comnenus. 120.

Martialis. 6. 8. 9. 15. 16. 23. 29. 31. 32. 34. 38. 39. 40. 42. 44. 45. 49. 52. 64. 69. 72. 73. 74. 81. 118. 122.

Menander Hiſtoricus. 116.

Moſchi-

Moſchus. 127.

N.

Nicephorus Gregoras. 147. 148. 149. 150. 151. 153.

Nonius. 90.

Nonnus. 100.

O.

Ovidius. 13.

P.

Pappus. 146.

Paulus J. C. 32.

Perſius. 80. 98.

Petronius. 39. 47. 52. 67. 69.

Phrynichus. 109.

Pindarus. 112. 115.

Plautus. 43. 45. 93. 100. 101. 102. 103. 110. 120. 127. 131. 132.

Plinius. 3. 4. 5. 8. 9. 17. 19. 21. 22. 24. 30. 31. 33. 34. 35. 36. 41. 43. 44. 46. 47. 49. 50. 51. 53. 54. 55. 56. 60. 61. 62. 63. 64. 67. 68. 71. 72. 79. 81. 82. 83. 86. 117. 125.

Plutarchus. 6. 15. 58. 77. 80. 86. 106. 108. 112. 131.

Propertius. 13. 18. 107. 108. 126.

Pythagoras. 114.

Q.

Quintilianus. 13.

S.

Salvianus. 3. 51. 53.

Saluſtius. 51. 52.

Schol. Apollonij. 112.

Schol. Ariſtophanis. 113.

Schol. Lycophronis. 113.

Schol. Pindari. 115.

Schol. Sophoclis. 115.

Seneca Philoſophus. 2. 3. 4. 8. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 21. 22. 23. 24. 25. 27. 37. 38. 39. 47. 51. 52. 53. 58. 65. 67. 69. 81. 83. 85. 121.

Seneca Rhetor. 13. 46. 53.

Servius. 60.

Sophoclis. 115.

Statius. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 78. 122.

Strabo. 54.

Suetonius. 2. 10. 12. 13. 14. 17. 20. 21. 41. 42. 44. 57. 59. 62. 64. 68. 73. 83. 84. 117. 119. 151.

Suidas. 101.105.110.146.147. 148.149.150.151.152. 253.154.

T.

Tacitus. 2.3.6.51.54.124.
Tertullianus. 21.22.23.24. 31.32.39.48. 61.68.75.128.
Tibullus. 125.126.

V.

Valerius Maximus. 8.49. 50.54.61.77.108.130.
Varro. 56.68.71.72.74. 75.76.124.125.126.
Velleius. 118.
Ulpianus J.C. 30.32.36. 40.41.

Z.

Zonaras. 132.

# INDEX AUCTORUM,

Qui hîc illuſtrantur, aut emendantur.

Aldhelmus. M. 1.
Apuleius. M. 2.
Aſtrampſychus. M. 29.
Baſilica. M. 25.
Columella. L. 14.
Dion Caſſius. L. 1.
Eunapius. M. 26.
Feſtus. M. 20.
Heſychius. M. 27.
Latinus Pacatus. M. 7.
Martialis. L. 2. M. 19.
Nicephorus Gregoras. M. 29
Perſius. M. 2.
Plautus. M. 4. 27.
Plinius. L. 13.
Seneca. M. 18.
Statius. M. 19.
Suetonius. L. 16.
Suidas. M. 29.
Tertullianus. L. 13.
Valerius Maximus. L. 12. M. 25.
Varro. L. 12. 14. M. 21.

FINIS.

Special
92-B
27966

[…] GETTY CENTER
[…]RARY